


BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

661







D E  
DIVINITATE  
JESU CHRISTI,

*Liber editus,*

a

VALENTINO SMALCIO GOTHANO,  
Cœtus Racoviensis Ministro.

Col: 2. 9.  
In C H R I S T O inhabitat omnis plenitudo  
Divinitatis corporaliter.

R A C O V I E ,  
Typis Sebastiani Sternacii,

1 6 0 8 . 15.829

Ex Collelio Lublinensi. Anno 1611.



XVII-661-III

Serenissimo & potentissimo Principi  
& Domino, Domino

# SIGISMUNDO

Tertio, Dei gratiâ REGI Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ: Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, &c. &c. Nec non Svecorum, Gothorum & Vandalarum REGI & hæredi:

Domino meo clementissimo.

 Aturâ comparatum est, Rex serenissime, ut ea, quæ prima subditi & in rebus maximis & pretiosissimis habent, Principibus Regibusq; suis devotissimè offerant. Tam multa ejus rei in historiis occurrunt exempla, ut, ea si quis colligere in unam summam velit, justum volumen sit ei conscribendum. Ego itidem, e S. R. M. V. subdi-

# Præfatio

torum numero unum me, ac etiam servum humil-  
limum agnosco. Quare eadem mihi mens, idem  
ingenium. Cum itaq; nuper, libellus de Christi di-  
vinitate conscriptus, esset mihi a Pastore meo, vi-  
ro cum primis pio & literato, oblatus, in quo, pro  
majestate quidem rei breviter, attamen luculen-  
ter satis, quibus in rebus sita sit cognitio Jesu  
Christi, idem disseruit: eaq; re nihil majus, nihil  
preciosius apud animum meū esset, nihil prius nec  
antiquius judicavi, quam ut eum S. R. M. V.  
offerrem. Nec verò solum ad eam rem, illud in-  
genium subditorū erga principes & Reges perpe-  
tuum, me impulit: verum etiam id potissimum in-  
cendit, ut S. R. M. V., eo libello, quantum  
licuerit per gravissimas Regni & Reipub. occu-  
pationes, lecto, perspiceret & cognosceret, quan-  
tum nos ab blasphemando Christo Domino & Deo  
nostro, quod identidem adversarii nostri calu-  
miantur, absimus, & de nobis fidelibus subditis,  
aliter imposterum sentire velit, quam S. R.  
M. V..

M. ad S. R. M.

M. V. iidem adversarii nostri, animum, ad sentiendum de nobis, inducunt. Atq; hæ causæ sunt, cureum S. R. M. V. offeram, dedicem & consecrem. Porrò summis precibus contendo, ut eum S. R. M. V., pro gratia sua Regia, a me, fidelis subdito & servo humillimo, benignè excipiat. Atq; id quidem S. R. M. V. facturam, certò mihi persuadeo. Cum enim animo meo illud fixum & perpetuum sit, ne fide, officio, obsequio, erga S. R. M. V., cuiquam subditorum aut servorum S. R. M. V. concedam: & S. R. M. V. studia in se subditorum & servorum, ex optimo animo profecta, illustri gratia Regia, excipere solere perspectum habeam, cur non idem mihi sit a S. R. M. V. expectandum, causam nullam subesse video: Immò, quò majus in animo meo est studium erga S. M. V. R: hoc persuasio etiam in animo meo de gratia S. R. M. V. oritur illusrior, atq; firmitior. Domino Iesu, Regi Regum, Domino Do-

# Præfatio ad S. R. M.

minorum, S. R. M. V. & felicem gubernationem S. R. M. V. commendō, ab eo precibus efflagitans, ut quām diutissimē S. R. M. V. quām florentissimam, & gloriae suæ, & Reipub: bono, & nominis aeternitati conservet, & mea humillima obsequia S. R. M. V. offero. Racoviae, 20 Novembr: Anno Christi, 1608.

Regiæ Majestatis Vestræ, Domini mei clementissimi

Fidelis subditus & humillimus servus,

JACOBVS Sienienski a Sienna,  
Palatinides Podolia.

# De divinitate Domini Iesu Christi.

**I**ntra omnia, quæ benignissimus Deus & Pater noster cœlestis, Ecclesiæ Christianæ revelavit mysteria, neminem esse puto, qui inficias interus sit, tantum non maximum illud esse, quod Domini nostri Iesu Christi personam, & munus respicit. In eo enim mysterio summa Dei gloria, & nostræ salutis certitudo omnis consistit. Hoc autem utroq; quid homini Christiano potest esse carius, quid antiquius? Reclite igitur omnes ii faciunt, & optimè sanctissimam collocant operam, qui, in afferenda vera Christi præstantia & divinitate, pro viribus desudant.

Sed ea est, probâ dolor, temporum nostrorum injuria, ea Sathanæ misera astutia, ut ii, qui sanctissimam de Domino Iesu Christo confessionem sequuntur, & ipsius Christi causâ nihil non facere, aut perpeti parati sunt, propter hoc solum, quia aliter de co-sentient, quam hactenus per multa secula, omnes ferè generatim senserunt, pro hostiis Christi & blasphemis in eum habeantur, & omnium exquisitissimis tormentis & mortibus dignissimi censeantur.

Quanquam vici sim in hoc ipso deficit ista Sathanæ astutia, & ipse causæ jux parum recte consulit, dum nimirum eos, qui Christi nomen publicè profitantur, eumq; & ejus sanctissimam religionem vitâ suâ cariorem habent, ita palam traducit, ac si eum, & religionem Christianam prodissent. Hac enim ratione, Deo (cujus in religionis negotio summa est prævidentia,) sic rem moderante, id, quod Diabolus effectum vellet, maxime apud omnes cordatos & probos, ne effectum suum habeat, impeditur. Cum nemo nisi improbus, & iudicij inops, veleodem abutens, pro hoste Christi proclamare audeat eum, qui se Iesu Christi humillimum servum, & cultorem perpetuò venditat. Nos quidem, qui hac gravi a plerisq; ho-die calumnia premimur, hactenus rectâ animi nostri conscientiâ nosmet ipsos solamur: occasiones etiam captamus, omnibus judicio & probitate præditis, cujuscunq; tandem sint conditionis, causam nostram proponendi: Nunc verò datâ operâ, in hunc ipsum finem, hunc libellum edimus, in quo, quid nos, & omnes nobiscum in uno cœtu congregati, de Iesu Christi præstantia & diuinitate sentiant, breviter quidem, sed tamen non omnino insufficienter describimus. Omnes, qui Christi nomen nobiscum profantur, appellamus, eosq; per solam veri Dei, & filii ejus Iesu Christi gloriam

Fructus cogniti-  
onis Iesu Christi

Veri Christiani  
plerumq; ab iis,  
qui professione  
tantum Christiani  
sunt, premun-  
tut.

Cur legendus hie  
libellus.

riam rogamus, & obtestamur, ut patienti cum animo legere dignentur, ut, si fortasse non possint (quod tamen ex animo illis preccamur) hanc nostram confessionem pro perfecta & sufficiente agnoscere, agnoscant saltem pro vera; & ita, si nos non, ut veros Christianos, amore prosequi velint, saltem ut hostes nominis Christi odio prosequi desinant: & si se Christianos esse gloriantur, semel hoc sciant tandem, nos & quæ nihilominus tales esse. Ut verò tanto rectius opus hoc nostrum succedat, & tanto facilitius percipi possint ea, quæ dicturi sumus de Iesu Christi præstantia & divinitate, considerabimus primùm, qualis & quanta ea fuerit, antequam ex virginе Maria nasceretur: deinde, qualis & quanta ea fuerit ab eo tempore, quo natus ex ea fuit.

Divisio operis generalis.

## C A P U T I.

## De Prædestinatione Iesu Christi.

Divisio prioris partis specialis.



UOD ad eam præstantiam Iesu Christi attinet, quam habuit antequam ex Virginе Maria nasceretur, ea iterum dupliciratione cōsiderari potest. Nam præstantia ejus, quam & ante & post conditum mundū habuit, sit mentio in sacris literis. Præstantia Iesu Christi, quam ante conditum mundū habuit, ea est, quod ab ipso Deo fuit prædestinatus, ut ait D. Petrus. Ea autem prædestinatio ita se habet: Cōstituerat Deus, qui hominem creaturus erat, & ex materia mortua, terrā nimirum, vivum eum & rationalē producturus, eidem ita etiam prospicere, ut suo tempore ex hac temporali vita, ad aliam, aeternam scilicet & immortalem commigrandi, viam & aditum cognitum haberet. Promiserat enim Deus vitam aeternam ante tempora secularia; & data nobis fuit gratia ante tempora secularia, ut ait Apostolus. Ad hoc igitur tam divinum opus elegit Deus Iesum Christum Dominum nostrum. Hunc ante constitutionem mundi ita dilexit, ut eum & neminem aliud, voluerit esse tantæ rei & præconem & perfectorem: Per hunc & neminem aliud, constituit omnes eos servare, quicunq; ejus dictis auditentes futuri essent: Huic & nemini alii tantam etiam in hunc finem gloriam tunc destinavit, quantam nunc eum habere omnes gaudemus, & gloriamur. Quanta verò hinc Iesu Christi præstantia appareat, ex eo videre est, quod nō nisi singularissima, & divinissima Deo a tam multis retrò seculis certò cōstituere soleat. Certè enim, si singula, vel minutissima

*1 Petr. 1. 20.*

Ad quid Christus  
prædestinatus à  
Deo fuerit.

*Tit. 1. 2.*

*2 Tim. 2. 9.  
Ioh. 17. 24.*

*Ioh. 17. 5.*

Prædestinatio re-  
rum est singula-  
rium.

tissima Deus ante omnia secula, vel ante conditum mundum certò constituisset & destinasset, non posset D. Petrus, ex eo, quòd Christus ante constitutionem mundi prædestinatus fuit, tantoperè eum commendare, ut facit. Ex eo enim, quod omnibus rebus competit, nulla singularis commendatio ad quenquam redire potest.

Hic si fortassis quis obijciat: Quam tu nobis præstantiam Christi in eo ostendis, quod omnibus etiam alijs fidelibus commune cum Christo est: Si quidem illi etiam electi sunt ante cōstitutionem mundi;

objectio.

& gratia illis data est ante tempora secularia? Huic respondemus: Primum, gloriam, quæ Christo destinata fuit ante constitutionem mundi,

Eph. 1.4.  
2 Tim. 2.9.  
Responsio ad  
cam triplex.

I.

tantum differre ab ea, quæ aliis fidelibus destinata est, ut ea pro singula-

ri, & ferè alia haberi possit. Christus enim ad id destinatus fuit, ut esset primus hæres Dei, rex absolutus, & Servator perfectissimus omnium fidelium: Fideles autem omnes a Christo omnia expectant, & longo pōst tempore tandem, ab eodem Rege, & Servatore suo, ad æternam

II.

quidem illam beatitudinem perducentur, quam nunc Christus habet: sed in ea tamen semper primus erit & præcipuus Iesus Christus. Quia de

re infrā plura nobis dicenda erunt. Deinde modus destinationis, qui Domino Iesu Christo competit, tantum differt a modo, quo fideles de-

stinati sunt, ut jure ille præ hoc aliquid singulare censeri debeat. Nam Iesus Christus Dominus noster ita ad hanc suam gloriam destinatus

III.

fuit, ut nullo modo eâ privari potuerit, sed necessariò eum consequi debuerit: At omnes fideles ita sunt destinati ad gloriam divinam, ut eâ privari possint; & non nisi contingenter eam consecuturi sint, si scilicet fideles sint & maneant, quod totum rursus, postquam eis Evangelium annuntiatur, penes illos est. Sed & de hoc plura infrā. Deniq; eti-

amsi vel simili, vel etiam pari modo fideles destinati essent ad suam beatitudinem, quo Christus nihil tamen per id Christi gloriæ & præstan-

tiæ decederet. Christus enim & ejus fideles, pro uno habendi sunt; & ex eo, quod populo illius contingere debet, cogitandum nobis est, quantus ille sit, cuius is est populus. Atq; ita demonstratā brevissimè, Christi, quam ante conditum mundum habuit, præstantiæ, pergamus ad o-

stendendum eam, quam post mundum conditum habuit.

## C A P U T I I .

*De promissione de Iesu Christo facta;*

**E**A autem præstantia tota in eo consistit, quòd is, qui ab ifpo Deo ad tantum opus destinatus antea erat, tot modis designatus, &

Promissio rerum  
singularium est.

Promissio Messiae  
ante legem.

Quid de loco  
Gen. 3. sentiendū

Promissio Messiae  
unde inchoanda.

Rom. 4. 11.

Heb. 2. 16.

Gen. 12. 3.

Ex 18. 18.

Ex 22. 18.

Quæ sit vis pro-  
missionis factæ  
Abrahamo.

Luc. 1. 54, 55.

¶ 72. 73.

delineatus per tot secula fuit, & a tot retrò seculis promissus. Plus ve-  
rò quam singularem ejus rei dignitatem & præstantiam esse oportet,  
quam omnia a mundi conditione secula suo modo occupata fuerunt; &  
cujus aliqua saltem spe tot homines antiquitus fultos esse Deus voluit;  
& quam omnes ferè singulares & divinæ actiones, quæ ab initio mundi  
extiterunt, quodammodo figurarunt. Quod ad illa secula, quæ pro-  
mulgationē Legis antecesserunt, attinet, haberi quidem potest pro ali-  
qua ejus rei denunciatione, id, quod Gen. 3. legitur: *Semen mulieris con-  
teret caput serpentis*, quatenus nimirum per Iesum Christum astutia &  
potentia Sathanæ contrita, & conculcata est: Sed quia nullus virorum  
sanctorum novi fæderis, qui promissionum divinarum antiquitus fa-  
ctarum mentionem faciunt, horum verborum meminit, & non nisi ab  
Abrahamo illas ordiuntur, pro promissione ea verba haberi vix pos-  
sunt, nisi fortassis mystico sensu, qui nunc quidem nobis patet, postea-  
quam Deus nobis Iesum Christum exhibuit: primis verò parentibus  
tunc temporis vix acne vix quidem patere potuit, nec porrò, ut pate-  
ret, neceesse ullo modo erat. In qua re tanto minus laborandum nobis  
est, quod multi præstantissimi Theologi tam vetustiores, quam recen-  
tiores, idem planè de loco illo sentiant.

Promissus igitur fuit Messias primùm omnium Abrahamo Patriar-  
chæ, cuius in Deum fiducia tanta fuit, ut ab eo omnes, quicunq; post  
illum in Deum crediderunt, ortum suum trahant, & semen ejus appell-  
entur. Huic autem promissio facta est venturi Messiae, in illis verbis, cū  
Deus ei dixit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Quæ promissio  
luculenta quidem est, si tempora novi fæderis, quibus ista promissio  
illustrata est, spectes: at si eam per se consideres, satis obscura. Possunt  
enim ista verba intelligi de posteritate carnali Abrahaini, quod scilicet  
omnibus nationibus benè futurum sit per eam. Et hoc eam modo cre-  
dibile est generatim intellexisse, si non ipsum Abramum, & alios ei  
similes viros sanctos (hi enim vel prophetæ, vel prophetarum instar  
erant) saltem omnes alias ejus posteros. Nos verò in illis verbis pro-  
missionē venturi Messiae contineri, libenter agnoscimus, adducti, inter  
alia plurima, his sacrarum literarum testimoniis: *Suscepit* (ait Diva ma-  
ter Iesu Christi) *Israëlem servum suum, recordatus misericordie, sicut lo-  
cutus est ad Patres nostros, Abramum, & semen ejus in seculum*. Quod  
idem confirmat Zacharias Pater Iohannis Baptistæ, dum in suo cantico  
sic Deum laudat: *ad faciendum misericordiam cum patribus nostris, &  
memorari testamenti sancti sui: iusserandum, quod juravit ad Abraham  
Patrem nostrum, daturum se nobis*. Hoc verò a Divo Paulo tam aperte  
repeti-

repetitur & inculcatur in Epistolis ad Romanos, & Galatas, ut nemini rerum divinarum vel tantillum perito, incognitum esse possit. Atq; hæc promissio renovata quodammodo fuit Isaaco & Iacobo, qui etiam eandem ad posteros suos propagavit, & de adventu istius futuri Christi aliquid, in benedictione, quâ Iudæ filio suo benedixit, innuit.

Quemadmodum verò promissio de Christo reverâ incepit ab Abrahami tempore: sic etiam jure ab eo tempore tantum numerari debent ea facta, quæ ipsum aliquo modo figurarunt. Inter hæc est illud singulare: quod Deus modo præternaturali filium largitus est Abrahamo: quodis solus, eje<sup>c</sup>to Ismaele, hæres evasit: quod is ab Abrahamo immolatus fuit. Hæc enim omnia Iesu Christi singularem & divinam nativitatem, dominium, addo etiam mortem ipsius figurasse, tutò credi potest. Quod porrò Iosepho accidit, ut Ægyptiis venderetur, in carcere per annos non paucos asservaretur, & tandem ex eo liberatus, primus à Rege Pharaone fieret, id Iesu Christi passionem, mortem, resurrectionem, & exaltationem adumbravit. Quod Iacobus in Ægyptum profectus, & ibidem posteritas ejus, per aliquot secula degens, tandem in extremam incidit servitutem, & mirabiliter à Deo deinceps per Mosen inde educta est, id mysticè, fugam Iesu Christi in pueritia ejus; id munus ejus, quod in liberatione nostri à peccatis, & morte consistit, ob oculos ponit.

Quod ad secula attinet, quæ post promulgatam legem numerantur, promissus & prædictus fuit, & in libris Mosis, & prophetis & psalmis, sicut ipse Christus de se testatur. Quod ad ipsos libros Mosis attinet, peregrium est illud testimonium, quod D. Petrus citat his verbis: *Moses quidem ad patres dixit: Quoniā prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis, juxta omnia, quæ cunq; locutus fuerit ad vos.* Hoc autem de Christo intelligendum esse, præter id, quod authoritate Apostolica, quæ omni exceptione major est, ntitur, hac insuper insigni ratione probatur: Quod nullus post Mosen propheta extiterit, tanquam Moses, præter solum Iesum Christum. Omnes enim alii Prophetæ ideò a Deo missi fuerunt, ut legem Mosis populo inculcarent, & servandam eam proponerent: Solus Iesus Christus mediator novi Fæderis fuit, quemadmodum Moses veteris, & Evangelicam doctrinam hominibus revelavit, quæ quanto præstet, & perfectior sit legali, in frâ dicendum nobis erit. Quantum ad Prophetarum scripta attinet, quis est, qui nesciat, quâm crebrò per Esaiam, Ieremiam, Danielem, & alios prædicetur adventus Messiae, ita ut ista enumerare, planè sit supervacaneum. Tantum hoc addimus, quod, sicut

Promissionis re-  
novatio.  
Gen. 26. 3.  
Gen. 28. 14.  
Gen. 49. 10.

Figura Messiae  
ante legem.  
Gen. 17. 15. Gen.  
Gen. 21. 9. Gen.  
Gen. 22.

Gen. 37.  
Exod. 39.  
Exod. 41.  
Gen. 46.  
Exod. 12.  
Math. 2. 15.

Promissio Messiae  
post legem, in le-  
ge contenta.  
Luc. 24. 44.  
Act. 2. 28.

Cur locus Dev-  
ter. 18. de D. Iesu  
intelligendus sit

Promissio Messiae  
per Prophetas.

Rom. 1. 3.

A. F. 10. 43.

Figura Messiae  
post datā legem.

populo universo, sic peculiariter ipsi Davidi, regi populi divini peculiari, promissus, & ab eodem Davide etiam praedictus fuit. Cujus rei fit mentio in multis sacrarum literarum novi Fæderis locis, & respectu ejus, Iesus Christus secundum carnem dicitur esse ex semine Davidis, ut scilicet, cōstet, eum esse datū, qui promissus erat, quod de Messia cognovisse, pars est eorum, quæ necessariō de eo cognoscenda sunt; vel sine quo Iesus pro Messia agnoscere non potest. Et tandem dicere fas est, quod Divus Petrus dixit: *Huic testimonium perhibent omnes Prophetæ.*

Quām variē autē designatus, & delineatus fuerit per ea, quæ a tempore datę legis per multa secula in medio populi Israelitici accidērūt, vix dici potest; nec, ut dicatur, illo modo neceſſe est. Nihil enim ferē omnīū est, in quo non aliqua adventuri Messiae, & eorum, quæ pereū revelanda, & quæ ipsi eventura erant, fiat adumbratio. ut sunt: Mactatio agni paschalisi: Erectio serpentis ænei in deserto: perpetua sacrificiorum immolatio. Et quid multa? Tota lex Mosaica umbra fuit eorum, quæ per Messiam hominibus revelanda, & ipsi Messiae donanda erant, adeò, ut, non tantū generaliter ea, quæ ad Christum spectant, indicata: sed etiam singula quæque, quæ ad eum quoquomodo pertinent, speciatim descripta esse, jure dici possit; & nihil planè sit eorum, quæ ipsi acciderunt, quantum vis parva esse videantur, de quo dici non possit: Hoc autem totum ideò factum est, ut impleretur id, quod dictum est per Prophetam hunc, vel illum, vel tale quid. *Quibus, quia notissima sunt, enumerandis, nunc libens supersedeo.*

Quatenus pro-  
missio Messiae in  
lege, & Prophetis  
facta extendatur.

Hic verò, ut sua cuiq; constet laus & præminentia, hoc in primis adnotandum esse credimus: Quod, etiam si lex & prophetæ de Messia futuro, & de beneficio per eum in populum Dei conferendo, testarentur: tamen longè aliam esse hac in re rationem veteris, quām novi Fæderis. Nam omnia scripta veteris fæderis docebant quidem, Messiam venturum: sed qualis & quantus Messias is futurus esset, non, nisi per involucra, docebant. Beneficium etiam ingens per eum conferendum esse testabantur: sed quale & quantum id futurum esset, non, nisi nimis obscure & mysticè, proponebant. Nam neq; vita æternæ, quæ proprium est Messiae beneficium, de quo infra suo loco dicemus, mentionem faciebant, vel eam promittebant; neq; id, quod Messias allaturus erat, ad universos homines, nempe ad extraneas etiam gentes spectare, usquam apertè indicabant. Hoc enim præstabant Iudei gentibus, quod Iudaorū erant promissa: gentes verò carebant spe promissionis. Christus circūcisionis fuit servus, ut confirmaret promissa patribus facta: gentes verò pro misericordia sui Deum celebrare tenebantur. Atq; ita, quod de omnibus

Rom. 9. 4.

Eph. 2. 12.

Rom. 15. 8, 9.

mnibus promissis Dei aliās dici potest, hīc etiam summo jure dici potuit: Deum, ut ut multa promittat, semper tamen plura præstare, quām promiserit.

Quanta autem in eo, quōd tām antiquitūs, & toties, & tam variē promissus, prædictus, & figuratus fuit, sit Christi præstantia & singularis dignitas, docere unumquēq; id potest, quōd, licet alia multa divina extiterint facta, quāe Deus prius annunciarī voluit, quām fierent: tamen jure dici possit, de omnibus, tot vaticinia & tot adumbrationes, non extare, quot de uno Iesu Christo. Hinc enim apparet, nihil aliud tota illa in re factum esse, quām quōd Deus ipse futurum esse providerat, & certe certius destinārat. Quod rursus, non nisi in rebus singularissimis, Deum facere, jam antea semel diximus,

## C A P: III.

*De Iesu Christi conceptione, & nativitate.*

**S**ed jam tempus est, ulterius pergere, ad eam Christi præstantiam & divinitatem, quā ab eo tempore innotuit, quo in hoc mundo esse cāpit. Vbi iterum nobis in duo membra, ista præstantia & diuinitas, distribuenda erit. Quorum prius ea continebit, quā in eo relaxerunt divina, dum mortalis esset. Posterioris ea, quā in eo relucunt divina, ab eo tempore, quo immortalis esse cāpit.

Quā in Christo relaxerunt divina, dum mortalis esset, partim ad ipsius conceptionem, & nativitatem pertinent: partim ad ipsius munus.

Quod ad conceptionem & nativitatem ejus attinet, potest primū considerari dignitas ejus, qui præcursor Domini fuit, nempe Iohannis Baptista. Ex præstantia enim & divinitate præcursoris, facile erit colligere præstantiam & divinitatem ejus, cuius is fuit præcursor Iohannis autē Baptista tanta fuit præstantia, ut & miraculo modo conceptus, & ab utero matris Deo sanctificatus; in deserto à Deo educatus; omnium, qui ex mulieribus nati sunt, Prophetarum nempe, qui eum antecēserunt, maximus; Eliæ Prophetæ emulus fuerit, & initium Evangelij ab eodem factum sit, quia scilicet primus resipiscientibus peccatoribus remissionem peccatorum promisit. Is verò tantus vir respectu Domini Iesu Christi, cuius fuit præcursor, adeò fuit humili, ut se etiam indignū haberet, qui ejus calceamenta portaret; & omnis ejus doctrina, terrenum aliquid, respectu doctrinæ Iesu Christi, jure haberi posset. Cum tamen per se esset, & ipse verè divinus, & doctrina ejus verè cælestis.

Divisio alterius  
partis specialis.

Quānam Christi  
nativitatem mi-  
raculosam effi-  
cient.

I.  
Iohannis Bapti-  
sta præcursoris  
præstantia.

*initiū Euageli*

Marth. 3. 11.  
Ioh. 3. 31.

II.

Mod⁹ nativitatis

Luc. 1. 35.

Christus natura-  
lis Dei filius di-  
ci potest.Cur D. Iesus fili-  
us sit Davidis.

Defit: 25. 6.

Quām divinum igitur necesse est esse eum, cuius respectu, ea, quę divina sunt, terrena esse dicuntur?

Deinde verò ipsa Iesu Christi conceptio & nativitas, præstantiam & divinitatem summam in se continent. Primum enim ab ipso Deo primarius Angelus missus fuit, qui hoc Mariæ virginis annunciat, quod futurum esset in ejus conceptione, & nativitate. At istiusmodi Angeli nunquam adhibentur a Deo, nisi ad præstantissima & singularissima perficienda. Deinde modus, quo conceptus est & natus Dominus Iesus, tām fuit præstans & divinus, ut ei simile quid nunquam acciderit ab initio mundi. Conceptus enim est de Spiritu Sancto, & natus ex Maria virgine. Ob quem conceptionis & nativitatis modum, filius etiam Dei vocatus fuit ab ipso Angelo; & ita naturalis Dei filius, (quia scilicet talis natus sit) dici jure potest. Reliqui homines omnes producuntur ex hominibus; nascuntur ex sanguine, ex voluntate carnis, & viri: Solus Iesus Christus a Deo Patre suo, absq; opera viri, in lucem productus est. Omnes Angeli creati a Deo fuere: at Dominus Iesus ab eo genitus fuit, ut ita singularitate etiam hujus rej excederet omnes alias creatureas. Qui quidem modus conceptionis & nativitatis Christi, propterea tanti facilis est, quod etiam antiquitus promissum fuerit, Messiam fore filium Davidis, & ex lumbis illius eum productum iri (quod requirere omnino videbatur, ut ex eo, cui Maria despontata erat, Messias nascetur, is enim erat ex familia Davidis, Maria verò non item:) maluit tamen Deus, modo quodam singulari (literis tamen sacris non in usitato) Dominum Iesum filium Davidis appellari, etiam si ex Iosepho natus non esset, quam permittere, ut communī more hominum conciperetur & nascetur. Is autem modus singularis, quo Christus filius Davidis appellatur, est, quod scilicet ex ea natus est, quae despontata erat viro oriundo ex familia Davidis. Non censentur autem filij ex matris, sed ex patris familia. Hoc modo, licet non ita perfecto, sub lege, is, qui ex alicuius uxore, quam maritus viduam reliquerat, & quam frater mariti mortui duxerat, nascetur, filius non ejus, qui cum generat, sed illius, ex cuius uxore frater cum produxerat, habitus & appellatus fuit. Quātò igitur magis filius Davidis habendus & appellandus est is, qui ex viri, oriundi ex familia Davidis, uxore jam ei despontata, natus est, ita ut nullius alterius viri opera unquam accesserit? Et si cui nescio quid inconveniens hac in re videtur (quod tamen nullum reverā est,) is cogitet, multò minus id esse, quām hoc esset, si totius mūdi Servator eodem modo, quo omnes alii vulgares homines conceptus & natus fuisset.

Crediderim tamen ego, hac miraculosa & divina Christi conceptione

one & nativitate indicare etiam Deum quodammodo voluisse , quām miraculosa & divina futura esset ista, quam IesuS ChristuS mundo allaturus erat , regeneratio, nempe eos , qui sub novo Fædere vivunt , debere, quantum ejus fieri potest, perfectissimè immutari , & novos homines fieri ; & eosdem tandem divina benignitate planè alios futuros, ac si denuò nati essent , cùm scilicet immortalitate a Deo donabuntur. Nam & vita hominum Christianorum , quam in hoc præsenti seculo vivunt, novus homo , regeneratio, & nova creatio appellantur : & illa etiam, quam in futuro seculo consecuturi sunt , Regenerationis nomine quandoq; insignitur.

Animadvertisendum autem hoc etiam est, Iesum Christum, licet ita miraculose conceptus & natus fuerit : tamen, quoad suam naturam, quā ex ista conceptione & nativitate habuit , corpus habuisse nostris corporibus per omnia simile, nempe, quod infirmitates vel afflictiones, & mortalitatem attinet. Sic enim res ipsa requirebat , siquidem nostra spes certissima esse debuit. Alioquin si diversæ naturæ fuisset D. Iesu a nostra, semper aliqua justa hærere mentibus nostris potuisset dubitatio, an scilicet immortalitatem, quam Christus promisit & consecutus est , consecuturi ipsis etiam essemus. Hæc verò dubitatio ne restaret, summopere Deus cavit.

Non est autem opus hîc commemorare ea omnia, quæ post Christi nativitatem acciderunt præstantia & divina. Ea enim nemini sunt incognita: Per Angelos annunciata fuit pastoribus: ab Angelis decantata: per Magos, qui ab ortu Solis venerant, adoratum recens natum puerū, illustrata: ipse puer Iesu à Deo mirabiliter e manib; Herodis creptus, & in Ægypto ad certum tempus custoditus: puer annorum duodecim, cum iter fecisset unā cum parentibus Hierosolima, insigne specimen suæ præstantiæ & divinæ cujusdam indolis præbuit, dum in templo sedens, in medio Doctorum eos audiebat & interrogabat, adeò ut omnes, qui audiebant, obstupecerent super prudentia & responsis ejus.

Non sunt autem audiendi illi, qui affirmant, Iesum Dominum nostrum tunc temporis munus suum propheticum incepisse, & tantum non servatorem reipsa fuisse, cum in templo Hierosolymitano inter medios Doctores sedet, & cum illis collocutus est. Parùm enim est ad tantum Iesu munus constituendum, cum sedisse inter doctores, eisq; auscultasse, & eosdem interrogasse: imò indignum Prophetico Domini Iesu munere utrumq; hoc quodammodo censemendum est. Potest enim auscultare aliis, & eos interrogare, is, qui illorum Doctor & Servator non est. Christi verò munus Propheticum potissimum in doctrina consistit; & tunc reipsa illud, cum Dominus Iesus docere cœpit, initi-

Eph. 4. 24.  
Ioh. 3.3.  
Gal. 6. 15.  
Matth. 19. 28.

Christus quo ad  
naturam, homini-  
bus aliis simili-  
fuit.

Divina provi-  
dencia super Iesu pu-  
ero.

Christus non ex-  
pit munus suum  
Propheticum an-  
no 12 ætatis sua.

um sumisit. Et etiam si concederetur, Dominum Iesum tunc temporis jam docuisse aliquid istos Doctores: tamen nondum effectum illud es- set, quod in quaestione est. Necesse enim est ostendere, eum id docuisse tunc temporis, quod postea, annos natus triginta, docuit, si ex eo quis docere velit, eum tunc munus suum Propheticum inchoasse. At quo- modo id affirmari potest, cum post finitam hujus historiae descriptio- nem, D. Lucas addat, Iesum creuisse sapientiam? Quæ sapientia nulla alia esse potuit, quam cognitione rerum, non tantum qualicunque modo divi- narum, sed earum, quæ æternam salutem hominibus allatura essent.

**E**x Christi responso  
so Mariæ mari-  
dato, non colligi-  
tur, eum speci-  
men regii mune-  
ris edidisse.

*Luc. 2. 49.*

Sed & illud nimium esse videtur, quod affirmatur à plerisque, Do- minum Iesum etiam muneris regii tunc specimen edidisse, quia scilicet matri sua ita responderit, *quid, quod me quærebatis. An nesciebatis, quod in ijs, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Nónne enim alia causa præter eam, quæ de specimine regni illius affertur, esse potuit, cur Dominus ita loqueretur? & quid cum regio specimine commune habet ejusmodi Christi responsum? Excusare se tantum voluit Dominus Iesus, quod nihil per petulantiam puerilem fecisset, dum in templo remanserit; & matrem simul monere voluit, nihil tale de eo cogitandum fuisse, cuius cum tacitè accusare videbatur. *Quod Christo licuisse, & eum etiam de- cuisse, nemo non videt, præsertim quod mater ejus probè sciebat,* quo- modo is conceptus & natus, & quam miraculo modo conservatus fuerat. Miranda igitur quidem sunt ista in Domino Iesu, quæ eum in te- nera aetate fecisse legimus: sed non protinus id dicendum est, quod pre- judicata suadet opinio: Imò seposita eâ considerandum est, dum ista le- gimus, qualisnam ab initio Dominus Iesus fuerit, & qualis successivè factus sit, ut hac ratione ad cognitionem ejus & personæ & muneris perveniamus. Hæc enim omnia, quantumvis magna, & suo modo divina sint, parva & humanum quiddam, esse videbuntur, si considerentur ea, quæ ad munus ejus pertinent, cuius causâ propriè etiam Christus, & Servator appellatus est, & ad quod describendum nunc accedimus.

## C A P: IV.

*De initiatione Christi ad Propheticum munus.*

Munus Iesu Chri-  
sti quotuplex.

**H**oc autem munus Christi triplex est, ut S. literæ testantur, & omnes hac in re consentiunt Theologi Christiani, Propheticū, Re- gium, & sacerdotale. Quorum primum Christus dum in ter- ris fuit, perfecit: ad reliqua verò duo, aditus eia Deo paratus fuit. Præ- stantia

stantia & divinitas Iesu Christi ex munere ejus Propheticō elucet, si consideretur primū modus, quo Christus ad id munus initiatus fuit. Deinde id, quod in eo munere continetur.

Ad modum, quo Christus ad munus Propheticum initiatus fuit, pertinet primum, quod Deus apud Iordanem, dum Christus aquā a Iohanne baptizaretur, de eo clara voce testatus est, quod sit suus filius, in quo acquiescat; & quod Spiritus sanctus super eum corporali specie descendit, tanquam columba. Quod quidem totum Iohannis Baptista causā factum fuit, ut is, qui Christi praecursor futurus erat, non tantum opinaretur, Christum verē adesse: verū etiam ab ipso Deo edocitus, certissimè cognitum eum haberet, & tanto alacrius munere suo perfungeretur.

Deinde & illud, ad modum initiationis Christi divinum, pertinet, quod non tantum singulari modo ad munus suum obeundū, cum tempus esset, a Deo missus: verū etiam ab ipso nativitatis suæ puncto ad id destinatus fuit, ut ipse Dominus ait: Se in hoc esse natum, & in hoc missum in mundum, ut testimonium perhiberet illi veritati. Reliquos enim Prophetas plerumq; Deus ex aliis vita generibus ad Propheticum munus delegebat.

Quod si quis dicat, Iohannem etiam Baptistā in utero matris fuisse sanctificatum, illud totum ad Christi præstantiam illustrandā & amplificandam planè spectat, quod scilicet non tantum ipse Iesus talis fuerit: sed quod etiam ejus præcursorum talem esse Deus voluerit. Semper enim, quicquid dignitatis habet præcursor, id in legati magni credit autoritatem.

Deniq; & hoc ad modum, quo Christus ad munus suum Propheticum initiatus fuit, pertinet, quod non, ut alii ante eum Prophetæ & ipse Moses, per Angelos aut visiones, id, quod alias docuit, edocitus fuit: sed ipse præsens, homo jam natus, patrem suum vedit, & ab eo edocitus fuit omnia, quæ deinde nobis exposuit. Nimis enim manifesta sunt testimonia sacrarum literarum, cum Christus dicit: *Hoc vos scandalizat?* Si ergo wideritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius? & iterum: *Exi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* In priori enim apertissimè dicitur, Filium hominis ascensum, ubi erat prius. Quò verò postea ascendit? Nemo est, qui nesciat, eum ascendisse in caelos. In caelis igitur fuit, antequam illuc ascenderet, ut ibi perpetuū maneret. In posteriori similiter expressè affirmatur, Christum ita relictū mundum, & iturum ad Patrem, quemadmodum exierat a Patre, & venerat in mundum. At Christus recipit, & localiter

Præstantia munēris Propheticī unde appareat.

Christus ipsius  
Dei voce inau-  
guratus.  
*Luc. 3. 22.*

Christus ab ute-  
ro matris munēri  
suo destinatus  
fuit.  
*Ioh. 18. 37.*

*Luc. 1. 15.*

Christus in caelo  
a Deo Evangelium  
didicit.

*Ioh. 6. 46.*  
*Ioh. 8. 28.*

*Ioh. 6. 61.*

*Ioh. 16. 28.*

(ut loquuntur) ex mundo ad Patrem ivit. Ergò etiam statuendum est, eum, re ipsa & localiter, a Patre venisse in hunc mundum, & consequenter, eum prius in cælo fuisse, quām in mundum veniret.

Christi in cælos  
ascensio & desce-  
sio non possunt  
referri ad incar-  
nationem.

Neverò quis credit, Christum fuisse in cælis, antequam nasceretur ex virgine Maria, & venisse in mundum, ut ex ea nasceretur, (ut hodie vulgo creditur) animadvertisendum est, primùm disertè dici, Filiū hominis fuisse in calo, in quod deinde ascendit. Filius autem hominis nemò est alius, nisi is, quem Maria virgo peperit. Et vanum est effugium, quōd dicunt peritores, per figuram quandam, (quam ipsi sibi commenti sunt) communicationem idiomatum, id dici de filio hominis, quod de filio Dei dicendum fuisse. Præterquam enim, quōd, dum hoc afferūt, aperte principium petunt, dum pro concessō sumunt, filium Dei fuisse, antequam esset filius hominis, & ita præter & ante filium hominis, filium Dei constituunt, optimè tenendum est, tunc demum recurrendum esse adfiguras, cùm verba quādam absq; absurditate, propriè, ita ut sonant, intelligi nequeunt: & qui aliter faciunt, ii ex sacro sancto Dei verbo ludum & jocum faciunt, & ludibrio illud, quantum in eis est, aliis exponunt. At quānam in eo est absurditas, si dicatur, Iesum, priusquam munus suum obiret, in cælo fuisse, & ibi a Patre suo omnia edocētum esse, quæ nobis revelavit? No bescertè, nedum absurdum videatur, D. Iesum in cælis fuisse, antequam munus suum obiret, & Evangelium docere inciperet, absurdum videretur, eum ibi non fuisse; & alio modo, quām per ipsam cum Deo conversationem & collocationem, omnium eorum, quæ nos docuit, cognitionem consecutum esse. Multum enim sanè decederet præstantia & divinitati muneris Iesu Christi, si eodem, quo alii ante eum edocēti fuerunt, ipse etiam doctus fuisse modo; & quod majus est, si, qui post eum fuit Apostolus Paulus, in cælum fuit raptus, ut ibi doceretur ab ipso Iesu Christo, ea quæ alios docturus erat, qua de re etiam gloriatur plurimū, cur id, quod seruo contigit, Domino contingere non potuerit? Præstantiori modo doctus fuerit servus, quām ipse Dominus? Moses, cùm legem ei Deus daret, in montem sacrum fuit vocatus, ibi cum Deo per certum temporis spatium commoratus, deinde demum dimissus fuit, & ita eruditus a Deo, multa populum docuit, quæ ibi viderat. Vmbra scilicet hæc fuere ejus, quod Christo eventurum erat, quemadmodum ipse Moses figura erat Christi.

*Cur opus fuerit  
Iesum Christum  
in cælis esse, & de  
cælo descendere.*

*Gal. 1. 22.  
2. Cor. 9. 1.*

*Non debet dubi-  
tari de re aliqua,  
quia certa aliquæ  
ejus circumstan-  
tiae ignorantur,*

Nihil autem refert, quōd non certò statui posse videatur, quando aut quomodo D. Iesus, homo natus, in cælum prius ascenderit, quām homines docere incipit. Nec enim, quemadmodum certa res est, de qua

qua scitur, quomodo & quando facta sit: sic rursus incerta ea est, de qua hoc utrumq; ignoratur. Veritas enim alicujus rei aliunde peti potest, quam ab his circumstantiis. Credimus procul dubio omnes, verum esse illud dictum Domini Iesu Christi ad Nathanaëlem: *Amen amen dico vobis, a modo videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis:* & tamen, quando vel quomodo illud factum sit, haec tenus, qui disertè explicare potuerit, nemo fuit: vel, ut exemplo utamur huic simillimo, credimus verum esse id, quod D. Paulus ait: *Novi hominem in Christo, ante annos quatuordecim (sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio: Deus scit) raptum hujusmodi usq; ad tertium cælum.* Et novi hominem hujusmodi (*sive in corpore, sive extra corpus, nescio: Deus scit*) quoniam raptus est in paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui: & tamen, quomodo vel quando definitè illud factum sit, haec tenus ab omnibus ignoratur. Cur verò ista credamus, in promptu causa est, quod illi ea dixeré, de quorum autoritate, vel tantillum dubitare, religio nobis est. Quoniam igitur hæc etiam ipsius ore Iesu Christi prolatæ sunt, & absq; omni tropo vel figura, de filio hominis intelligi possunt, jure fides eis etiam adhibenda est, ut aliis, a Christo prolatis, sermonibus & mysteriis.

Ioh. T. 51<sup>a</sup>2. Cor. 12. 2,3<sup>a</sup>Vnde potissimum  
veritas rei pen-  
deat.

Sed præterea non videtur omnino esse incognitum, quando aut quomodo Dominus Iesus in cælum ascenderit. Quod enim ad modum attinet, nihil absurdum planè in eo est, quod D. Iesus eò raptus sit. Hoc enim modo credimus, eum in celos post resurrectionem ex mortuis assumptum esse, sicut testatur D. Lucas, eum videntibus Apostolis elevatum esse, & nubem eum suscepisse ab oculis eorum; & idem etiam Angeli repetierunt, dum inquiunt: *Hic Iesus, qui assumpitus est à vobis in cælum, sic veniet &c.* Quo verò modo Deus semel, in elevando filio suo, usus est, quid prohibet, quominus credamus, isto etiam anteà cum usum fuisse? Quod verò ad tempus attinet, planè verisimile est (quod nonnulli inter alios Theologos etiam observarunt) illud tunc temporis factum esse, cùm Dominus Iesus jam baptizatus, & Spiritu sancto donatus quidem esset, munus verò suum nondum obire capisset, cùm scilicet quadraginta dies & totidem noctes, jejunus in deserto consumpsit. Quemadmodum enim Moses tot dies & noctes, absq; cibo etiam a Deo conservatus fuerat, antequam legem per eum dare: sic credibile est, D. Iesum, illo cibo cælesti, qui est commercium & conspectus Dei, ita fuisse recreatum, ut nullo naturali alimento, per totum illud tempus, opus habuerit. Tunc enim credibile est, eum patrem suum vidisse, & ab eo doctum fuisse, quod de se utrumq; Dominus prædicat. Quæ si cui

Modus & tempus  
ascensionis hujus  
Christi, qualis es-  
se potuerit.Act. 1. 9<sup>a</sup>Ioh. 6. 48<sup>a</sup>G. S. 28<sup>a</sup>

Hominem mortalem posse aliquo modo Deum videre.

1. Tim. 6. 16.

Exod. 33. 29.

2. Cor. 9. 2.

minus probantur, is hoc saltem consideret, nihil a nobis affirmari in hac re, quod cum analogia si dei Christianæ pugnet: nobis autem, id planè se ita habere, persuasissimum est, & hoc mysterium nobis a Deo per sacras literas revelatum esse, plurimum gaudemus. Quòd si quis præterea objiciat, fieri non potuisse, ut D. Iesu apud Deum esset, cum eo conversaretur, eum videret, cùm certum sit, D. Iesum hominē fuisse: & interim legatur, Deum inhabitare lucem inaccessibilem, & talēm esse, quem nullus hominū viderit, nec videre possit, imò ipsum Deum Mosi dixisse: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet.* Huic nos respondemus: Totum illud, quod in locis citatis dicitur, intelligendum esse, non de eo, quod fieri nequeat, etiam si Deus velit, sed de eo tantū, quod naturā suā fieri nequeat. Natura rei talis est, ut homo mortalis Deum immortalem videre nequeat: At si Deus ita velit, ut homo mortalis se videat, non puto aliquem fore, qui negaturus sit, Deum id præstare posse. Nónne enim Deus ipse, qui dixerat, non posse hominem se videre & vivere, dixit, se misereri, cuius voluerit, & clementem esse, in quem sibi placuerit? Nónne dixit Mosi: Videbis posteriora mea? Videre autem Dei posteriora, tām est impossibile homini, quoad ejus naturam, quām ipsum Deū videre. Hinc etiam hoc, quòd posteriora Dei Moses vidit, Dei miserationi ascribitur. At in eo, quod quis naturā videre potest, non opus est propriè miseratione. Nónne etiam D. Paulus, cùm in tertium cælum vel paradisum raptus, ea audivit, quæ hominī effari non licet, D. Iesum vidit? cuius tamen naturam, tunc Dei naturæ similem & divinam fuisse, certo certius est: idq; in corpore eimortali accidere potuisse, colligi potest ex illis verbis, dum ait: *An in corpore, an extra corpus, nescio: Deus scit.* Nam si, in corpore fieri nullo modo illud potuisse, Paulus scivisset, nunquam ita locutus fuisse, ut, in corpore illud contingere ei potuisse, inde colligi posset. Vnde aliquo saltem modo apparet, posse etiam hominem mortalem videre Deum & D. Iesum Christum, si ita Deus velit, & Dominus Iesus Christus.

Quanquam multò magis statuendum est, id Domino Iesu contigisse, quām vel Mosi, vel D. Paulo. Si enim Moses, de quo nusquam legitur, eum transfiguratum unquam a Deo fuisse: (ideoq; mirum non est, si Dei faciem videre non potuit) tamen aliquid divinæ vidit præsentiae. Si Paulus, etiam si transfiguratus itidem non fuit corpore, & tamen affirmare aūsus est, se Dominum vidisse, & ea in cælo audivisse, quæ effari non licet: Quantò magis hoc Domino Iesu ascribendum est, cuius Moses tantū figura, & qui Dominus Pauli fuit? & de quo legitimus, cum transfi-

transfiguratum suo tempore fuisse ita, ut facies ejus mortalis, instar Solis splendoreret, vestes verò, ut lux vel nix. Multò enim aptior est ad vindendum Deum, & ad conversandum cum eo, is, qui aliquo modo mutatus est, quām is, qui nihil hahet præter mortalitatem in corpore. *Quod* autem semel Domino contigit, nempe in monte sacro, id etiam antea contingere ei potuisse, nihil prohibet. Non potest quidem corpus mortale perpetuò cum Deo vivere, ut etiam Apostolus ait, carnem & sanguinem non posse hæreditare, hoc est, perpetuò obtinere, regnum cælorum: sed tamen ad tempus, si Deus ita velit, & ita requirat ejus gloria, potest illius faciem aliquo modo aspicere. *Quem* admodum etiam non potest quidem immortale corpus in hoc seculo præsenti, quod est locus mortalitatis, perpetuò degere: potest tamen ad tempus hic esse, si Deus ita velit, & gloria ejus id requirat, ut ostendit exemplum eorum, qui in Christi adventu ex mortuis resuscitabuntur. Illi enim erunt incorruptibiles, & tales, quales in æternum futuri sunt, & tamen in hoc seculo apparebūt, (cum reliquis enim, quos Christus vivos offendet, in aërem rapientur,) propter in signem scilicet Dei gloriam, & pœnam etiam hominum impiorum, qui oculis suis aliquo saltem modo aspiciunt illos, quos Deus ex mortuis resuscitatos, immortalitate donabit, & ita seipso accusabunt, quod tantum bonum volentes scientes contemerint. Itaq; tandem certum est, D. Iesum, mortalem licet, Deum Patrem suum vidiisse, & ab eo immediate doctum fuisse. *Quod* totum non parum facit ad commendandam nobis & omnibus hominibus, a Christo promulgatam religionem, quæ, ut est singularissima & divinissima, sic etiā singularissimo & divinissimo modo ab ipso Deo D. Iesu sit revelata

*Math. 17. 2.  
Mar. 9. 3.*

*1. Cor. 15. 38.*

*1. Cor. 15. 52.*

*1. Thes. 4. 17.*

## C A P. V.

### *De Christi præceptis, quæ legem perfecerunt.*

**A** Dhuc igitur de modo, quo D. Iesu ad munus Propheticum initiatus fuit, differentes, præstantiam & divinitatem illius ex eo ostendimus. Nunc candem ex eo etiam ostendere conabimur, quod in munere D. Iesu Prophetico continetur.

Totum autem illud, quod in munere D. Iesu Prophetico continetur, est, divinæ voluntatis revelatio & confirmatio.

Divinæ voluntatis, quam Christus revelavit, duæ sunt præcipuae partes: una præcepta ejus respicit, altera promissa.

Præcepta, quæ Christus revelavit, dupli modo considerari pos-

funt,

Munus Iesu Christi Propheticum in quo consistat.

Partes divinæ voluntatis.

Præcepta Christi.

quotupsi modo  
consideranda.

Christus legem  
non sustulit, quā-  
diu Propheta fuit

c. 26.

Gal. 4. 4, 5.

Deut. 13. 1.

sunt. Quædam enim sunt additamenta & perfectiones istius partis legis Mosaicæ, quæ moralis appellatur: quædam verò sunt planè singularia, & quasi nova. Nolumus autem nunc quicquam de eo dicere, quod reliquias partes duas legis Mosaicæ, nempe ceremonialem & judicialem, D. Iesus abrogârit, revelato cultu Spirituali, & lata lege charitatis. Hoc enim D. Iesus non fecit, quatenus erat Propheta, sed quatenus Rex populi Dei. Itaq;, cum de regno Christi sermo nobis erit, hujus etiam rei paucis mentionem faciemus. Nunc dicimus, Deum noluisse, ut D. Iesus, quandiu in terris degebatur, & cum Iudæis conversabatur, apertam abrogationis partium iistarum legis Mosaicæ mentionem faceret, ne scilicet justam causam habere viderentur eum rejiciendi, illi, quorum causâ in primis missus erat: Imò propter hoc ipsum, voluit Deus D. Iesum sub lege esse, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Erant enim aliàs satis magna & multa, quæ eos a Iesu Christo recipiendo deterrere poterant, quæ tamen Deus extare voluit, ad ostendendam suam sapientiam & potentiam; & probandam atq; excrcendam fidem hominum, nempe, quod d. Iesus, quem Prophetæ Regem insignem, illustrem & potentem fore prædicebant, tanta humilitate circumdatus venerat, & omnium injuriis expositus erat. Non erant igitur augendæ dubitandi causæ, absq; ulla gravi causa: Imò, quemadmodum decebat Deum, primùm mittere Messiam humilem, infirmum & mortalem: sic rursus eundem decebat, abrogationem partis legis differre in aliud tempus, ut illius sapientia & justitia Dei, quâ semper in docendis hominibus utitur, hic etiam vestigium & specimen appareret, nempe, quod sensim & pedetentim Deus omnes suas actiones ad perfectionem perducit, hominum scilicet infirmitati in eo consulens. Monuerat olim Deus populum suum, si surrexisset in medio eorum Propheta, aut qui somnium se vidisse diceret, & prædiceret signum atq; portentum, & eveniret, quod locutus esset, & diceret illis, ut irent, & sequerentur Deos alienos, quos ignorabant, & servirent eis, ne audirent verba Prophetæ illius aut somniatoris, quia scilicet tentet eos Dominus Deus eorum, ut palam fieret, an diligenter eum, nec non, in toto corde & in tota anima sua, &c. Iam si D. Iesus, qui Deum esse non negabat, imò, ubi opuserat, docebat & demonstrabat, se jure Dei filium vel Deum esse, si, inquam, is docuisset, legem ceremonialem & judicialem nullam esse, sed aliam esse rationem Deum colendi, certè Iudæis, quæ illorum erat in Dominum Iesum malevolentia, speciosa occasio data fuisset suspicandi, eum esse falsum Prophetam, quia scilicet alium modum colendi Deum præscriberet, quam Moses, in quæ Iudei sperabant, & cui plurimum tribuebat, præscripsisset, & sic omnis opera

opera periiisset. Non ita autem se reshabet in aliis, quæ in D. Iesu inesse & apparere Deus voluit, cum vaticiniis Prophetarum, primo intuitu consideratis, parvum convenientia. Nec enim Deus promiserat unquam disertè, Regem illum promissum, statim, posteaquam natus vel ex hibitus esset, illustrem & potentem futurum: sed tantum simpliciter prædictum fuerat, eum illustrem & potentem futurum: Imò, ut D. Petrus ait, testati sunt Prophetæ, primùm de afflictionibus ejus, & deinde de consecutiseas gloriis. Nihil igitur culpari jure potuit, si tandem talis factus est D. Iesus, qualem cum fore vates prædixerant. Quemadmodum etiam David (qui hac in re typus Iesu Christi fuit) non statim, posteaquam ad regnum electus fuit, in folio consedit, & regnare cœpit: sed post aliquot demum annos eam dignitatem obtinuit. Sed ad rem. Non docuit igitur Iesus Christus, legem, vel ullam ejus partem, abrogandam esse: sed lege sartâ relicta, docuit eum modum colendi Deum, quem deinceps omnes observaturi, & qui perpetuus futurus esset. Ex quo, quomodo D. Iesu præstantia & divinitas appareat, nunc videamus.

Tradidit igitur D. Iesus Christus hominibus, legem moralem servandam totam, excepto eo præcepto, quod ceremoniale esse omnes confitentur, de observando scilicet Sabbatho. Hoc enim eadem de causa sublatum est, propter quam alia plurima hujus generis sublata sunt. Volut autem Deus, legi morali illud insertum esse, ut defectus & imperfectio ejus tanto magis appareret, & correctioni tanto amplior locus esset. Singulis autem legis moralis præceptis, ea D. Iesus addidit, quæ summam ejus, qui istud facere potuit, præstantiam & divinitatem indicant.

In lege dictum erat, ne alios Deos præter unum haberemus, aut coleremus. Implevit eam & perfecit D. Iesus, dum & modum orationis (quæ una ex potissimum cultus divini partibus est) certum, & perpetuum, eumq; planè divinum præscripsit: dum etiam modum colendi Deum novum, qui antea planè erat inauditus, revelavit & præcepit. Lex enim nusquam aperte præcipit orationem, nedum, ut certum orandi modū præscribat. Cujus rei investigatio, si fortasse alicui curiosa videatur, is, si ea, quæ mox dicturi sumus, animadverteret, ad præstantiam D. Iesu & doctrinæ ejus multum eam facere, nobiscum confitebitur. Rationes autem, cur in lege oratio præcepta non sit, hævidentur esse: Primum, quod promissa omnia in lege proposita, non superabant id, quod homines facere tenebantur: imò plus lex videbatur præcipere, quam promittere. Itaq; jure quodam debebatur id, quod lex promittebat, ei, qui illam observaret; nec, ut id præterea oraret, ullo modo opus erat.

Deinde,

Quomodo intellexi ligenda promissio divina de dando Rege vel Messia.

I. Petr. 1. 11.

1. Reg. 16. 122

2. Reg. 2. 11.

3. 5. 1.

Cur lex de Sabbatho abrogata.

Perfæctio legis moralis per Christum.

Perfæctio i. præcepti.

Cur oratio in veteri Fædere præcepta non fuerit, nunc autem præcepta sit.

Deinde, quod ea, quæ lex præcipiebat, absq; singulari ope divina præstari poterant, eo saltem modo, in quo Deus acquiescebat. Nec enim ea alioquin præcipere salvâ iustitiâ Deus potuisset, si nullo modo præstari potuissent. Quod verò certus orandi modus in lege præscriptus non fuit, hoc ideo factum fuisse videtur, quod non semper Deus id, quod in lege cultoribus suis promittebat, daret. Quomodo igitur ora-re illud perpetuò potuerint? Id verò, nempe quod Deus id, quod in lege promittebat, non semper dabat, salvâ iustitiâ suâ facere potuit. Interim enim, alio modo sese obedientiam ipsorum remuneraturum, constituerat, nempe, felicitate futura & æterna, cuius aliquem gustum iis salté, qui in hoc seculo tam gravior afflîctati fuere, concessum a Deo fuisse, nihil prohibet, & plusquam credibile est. At in novo Fædere, & oratione nobis præcepta est, & modus orationis. Oratio quidem ipsa primùm, quia promissa Evangelij superant omnem obedientiam nostram, & nemo vitam æternam, propriè loquendo, mereri potest, sed quantumvis quis obediatur: precibus tamen insuper ardenterissimis a Deo eam impetrare unumquemq;, necesse est. Deinde, quia tanta est præceptorum Evangelij perfectio, ut, nisi subinde auxilio Dei juvemur, nullo modo ea simus completuri. Auxilium autem illud Dei summo cum conatu exorandum itidem est. Modus autem orationis certus præscriptus est, quia certò ea, quæ Deus in Evangelio promittit, petere ab eo possumus; & nemini illorum, qui Deo sub eo obediunt, negatis ea, quæ semel promisit; nec est aliquid, quo Deus, salvâ iustitiâ, remunerari possit homines, si æternam illam vitam & immortalitatem eis neget, quo æquè contenti esse possint, atque vitâ æternâ, nendum magis, quam vitâ æternâ.

Præstantia orationis Dominicæ.  
Matth. 6. 9.  
Luc. 11. 2.

Quam porro divinus sit iste orandi modus, quem D. Iesus præscripsit, hinc appareat, quod in tam brevia orationis formula, multò plura continentur mysteria, quam verba. Docet enim nos, quis sit ille Deus, qui nobis perpetuò invocandus est, nempe Pater. Consolatur nos, dum summi illius Dei filios nos esse tacitè innuit. Docet nos, quanta nos erga proximum charitate præditos esse oporteat, dum oramus, ut scilicet tam aliis, quam nobis, omnia bona precemur; &, licet solus quis oraret, ut Patrem tamen nostrum, cōmunem scilicet omnibus Christianis, invocet. Docet nos, Deum Patrem, qui favore & potentiam suâ ubiq; est, sedem suam habere in cælis, nempe, illis supremis & increatis. Docet nos simul, mercedem nostram in cælis repositam esse, ubi Pater noster est. Docet nos, quānam sint ea, quæ necessariò & perpetuò Deum orare possumus & tenemur. Docet nos, maximè petenda a Deo esse, quæ gloriam

gloriam ejus, & salutem nostram spectant. Docet, semper majoris faciendam esse Dei gloriam, quām omnia, & nostram etiam ipsorum salutem. Docet, quibus & quot modis, & quām perfectè, gloriae Dei studere debeamus, nimirum verbis, animo, & factis. Docet, celebratōrem divini nominis, quæ verbis & ore absolvitur, particulam esse, eamq; non postremā cultus divini sub novo fædere; atq; ita congregatiōnes, quæ in eum finē, ut scilicet nomen Dei celebretur, fiunt, maximo perè commendat. Docet, hunc demum ore Deum ritè celebrare, in cuius corde Deus regnet, qui sincero sit præditus animo, & qui se totum Deo regendum permittat. Docet, cor nostrum fundamentum esse cultus divini sub novo fædere. Docet, cultum internum absq; externis operibus nullum esse posse: & tunc demūn corda nostra Deo esse accepta, cùm ea reipsā facimus, quæ nobis sunt præscripta. Docet, posse aliquem, si velit, & Dei auxilium imploret, perfectè divinam voluntatem præstare, & omnes eam præstare teneri. Docet, quantā & quām assiduā, imò perpetuā Dei ope & auxilio salutis nostræ promotio indigeat. Hoc autem auxilium est, donum Spiritus S.. Simul etiam docet, quām paucis, in rebus temporaneis, contentus esse possit & debeat homo Christianus: nempe si victum habeat. Docet, quomodo is etiam, qui jam victum habet, eumq; abundè, totus tamen ex Deo pendere debeat, eūq; rogare teneatur, ut victum ei det, hoc est, ut eo, quem habet, frui Deus sibi permittat. Docet, quantum sit bonum æterna salus, quæ scilicet hominibus eā indignissimis oblaça sit. Peccata enim remitti necesse est illi, qui salutem consequi velit: imò ipsa peccatorum remissio, ipsa æterna salus est. Quid tamen eos in primis & necessariò facere oporteat, & quomodo ad eam aspirare illi debeat, qui eā gaudent, apertè etiam monet, nempe ut, in remittendis unicuiq; offensis, faciles fese prebeat. Docet deniq;, quām multa adversa ferenda sint homini Christiano; & quām constanter ea ferri possint, ab illo, qui spem suam in Deo collocavit; & quām felix catastrophe istarum afflictionum tandem sperāda sit. Hæc tot & tanta sunt mysteria, quæ tām brevi oratione continentur, & tamen vix aliquid eorum, quæ in ea continentur, obiter indicatum est. Divinus ergo is fuerit necesse est, qui tām divinam orationem comminnārit. Hunc enim ingenium vix multis verbis rem per exiguum satis perspicue explicare potest: rursus res maximas & plurimas, paucissimis verbis & disertissimè comprehendere, divinæ est industriae.

Modus colendi Deum novus, est, colere eum per Iesum Christum. Quod quidem dupli modo fit. Colimus enim Deum per Iesum Christum, dum cultum divinum Deo Patri tribuimus, non tanquam disci-

puli vel sectatores Mosis, sed tanquam Christi servi & subditi. Colimus etiam Deum per Iesum Christum, dum ipsum Iesum Christum colimus. Omnis enim cultus, qui Christo tribuitur, divinus, in solius Dei Patris gloriam cedit. Hunc autem cultum tantum hodie Deo acceptum esse, testis est D. Petrus, dum ait: *Et ipsi tanquam lapides vivi, super ædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre hostias spirituales, acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Quod idem etiam confirmat autor Epistolæ ad Hebræos, dum ita monet fideles: *Per eum (Christum) itaq; offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum laborum contentum nomini eius.* Et ubique aut dicimus aliquid, quod ad cultum Dei & religionem attinet, per Iesum Christum facere, ibi duplex ista significatio locum habet, & jure consideranda est. *Quis vero dubitet, eum esse divinum, sine quo divinus cultus hodie nullus est?*

Præcipit lex, ne ullius rei, quæ in cælo desuper, & in terra deorsum, & in aquis sub terra est, imaginem vel similitudinem, neque faciamus, neq; adoremus, neq; eidem serviamus. Perfectio eam & implevit D. Iesus, dum per Apostolos omni ratione vitare jubet idola, adeò ut etiam loca illa vitemus, ubi ea coluntur. Præcipit lex, ne nomen Domini in falsum vel vanum assumamus. Perfectio eam, & implevit D. Iesus, dum nec in rebus veris illud assumere vel invocare permittit, (nisi tale quid a nobis exigat gloria Dei,) ut ita nomen D E i semper apud nos sit sacrosanctum, & nunquam vilescat; & ne sæpe jurando, pejerare etiam assuescamus. Præcepit lex sanctificare diem Sabbati. Hoc præceptū, quia cærimoniale est, D. Iesus non perfectio, sed illud sustulit, ut & alias cæmonias, de quo nobis postea sermo habendus erit. Præcipit lex, ut honoremus patrem & matrem. Hoc, quia ita comparatum est, ut perfici & augeri non possit, hodie etiam ratum manet: Auctum vero est & perfectum a Christo, quatenus etiam parentibus, & omnibus aliis, qui parentum loco sunt, ut pote, magistratui, Dominis, maritis, præcipit, quid eis faciendum sit. Nempe, ut quemadmodum Deus ipse, qui anteā Dominus tantum omnium erat, per Iesum Christum patrem se se exhibuit: ita etiam omnes, qui in alios imperium habent, non ut Dominus tantum, sed magis ut patres se se gerant erga eos, quorum domini sunt; & ne ipsi etiam parentes, imperio suo in liberos, quod post ipsius Dei imperii absolutissimum est, abutatur. Paréti igitur præceptum est, ne irritent liberos; sed ut eos educent in timore, & correctione Domini. Magistratui, ut agnoscat, se a Deo potestatem in alios consecutum esse; & ut proinde eâ ad defensionem innocentium, & pœnam improborum utatur. Dominis, ut remittant minas; reddant, quod justum est

memor-

*s. Petr. 2. 5.**Hebr. 13. 15.**Phil. 1. 11.**Perfectio 2 præcepti.**1. Cor. 10. 14.**Perfectio 3. præcepti.**Matth. 5. 34.**2. Cor. 1. 23.**Perfectio 4. præcepti.**Perfectio 5. præcepti.**Eph. 6. 4.  
Col. 3. 21.**Rom. 13. 13.  
Eph. 6. 9.  
Col. 4. 1.*

memores suum & servorum suorum Dominum esse in cælis, & non esse apud eum personarum acceptiōnem. Maritis, ne senviant in uxores: sed eas ament ut scipios; & honorem eis, ut infirmiori vasi, exhibeant. Quod enim ad ea attinet, quæ subditi magistratui, quæ servi Dominis, quæ uxores maritis debent, ea h̄ic commemorare non est necesse. Ex eo enim, quod lex charitatis, exercenda a magistratu in subditos, a Dominis in servos, a viris in uxores præscribitur, manifestè apparet, omne genus obedientiæ, honoris, timoris (quod obedientiæ, honori & timori Dei non aduersetur aut detrahatur) deberi a subditis magistratui, a servis Dominis, ab uxoribus maritis.

Prohibet lex, ne occidamus: Perfecit eam & implevit D. Iesus, dum non tantum prohibet, ne cuiquam irascamur, ita, ut de vindicta cogitemus; & ne vel verbo, vel facie austera, quæ vindictæ sunt fomites & igniculi, alium offendamus: verū etiam dum neq; per magistratum injuriā ulcisci permittit; &, ne injuria nobis inferatur, nihil non facere, & ex iis, quæ habemus, aliis etiam dare & accommodare jubet. Prohibet lex, ne adulteremur: Perfecit eam D. Iesus & implevit, dum ita intueri etiam vetat mulierē, ut eam concupiscamus, pro adulterio cordis illud reputans: Dum uxorem nulla de causa dimittere permittit, præter adulterii: Dum omnem scortationem & impuritatem, turpilo quiūm, obsecnitatem, & urbanitatē (quæ apud Philosophos ethicos inter virtutes numeratur) planè interdicit. Et ut quām continentissimi esse possimus, summoperè nobis commendat jejunium. Quod aliud nihil est, quām abstinentia a cibis & potu ad certū tempus, cum infimè instituta, ut res sacrae tantò commodiūs peragi possint. Prohibet lex, ne sueremur: Perfecit eam & implevit D. Iesus, dum non tantum aliena rapere prohibet, & egentem juvare præcipit: verū etiam non permittit, ut quis, quantumvis id absq; alicujus injuria facere possit, plus bonorum acquirat, quām ei opus est ad sustentandam hanc vitam: & si tamen plus acquisiverit aut possideat, quām ei opus est, id totum suadet in liberalitatem erga egenos, & in alias usus pios convertere: miram deniq; & divinam quandam in omni vita temperantiam præscribit, ne ulla ratione id in nosmet ipsos conferamus, quod aliis, jure charitatis, debetur.

Prohibet lex, ne falsum testimonium dicamus adversus proximum: Perfecit eam D. Iesus & implevit, dum omnis generis mendacia & levitates planè tollit; obtreftationes etiam, censuras, judicia & condemnationes a suis cultorib: longissimè abesse vult, quæ omnia mendacii species sunt. Prohibet deniq; lex, ne concupiscamus quicquam eorum, quæ proximi sunt: Perfecit eam D. Iesus & implevit, dum non

Col. 3. 19.  
Eph. 5. 25, 28.  
1. Petr. 3. 7.

Perfæctio 6. præcepti.  
Matth. 5. 23.

6. 39.  
5. 42.  
Luc. 6. 35.  
Perfæctio 7. præcepti.  
Matth. 5. 28.  
Matth. 19. 9.  
Eph. 5. 3, 4.

Quid sit jejunium.  
Perfæctio 8. præcepti.

1. Tim. 6. 8, 17.

Perfæctio 9. præcepti.

Perfæctio 10. præcepti.

tantum prohibet, quemadmodum lex prohibebat, ne istiusmodi concupiscentiis delectemur, sed ne unquam apud animos eas nostros concipiamus. O divinam legis divinæ perfectionem; & divinum eum, cui tantæ rei perfectio reservata fuerat, quam nemini Deus unquam, ne in minimo apice legis, concederat. Soli sibi Deus hanc libertatem reseruarat: Solus eam D. Iesus ad effectum perduxit. Verè igitur proximus à Deo & divinissimus est, D. Iesus.

## C A P: V I.

## De præceptis Christi singularibus.

**S**ed hæc omnia, quantūvis permagna sint, & divinitatis Domini Iesu satis conspicua documenta: tamen, si cum reliquorum præceptorum ejus divinitate conferantur, multò illa evidentius apparabit. Ne enim quicquam deesset eorum, quod ad summam vitæ integritatem pertinet, præcepit præterea D. Iesus, ut, qui suus discipulus esse velit, seipsum abneget, crucem suam quotidiè tollat, & se sequatur. Quibus tām paucis verbis tantam comprehendit sanctitatis perfectiōnem, ut angelicam vitam superare, & ad divinam accedere videantur illi, qui isto modo piè vivere conantur. Quicquid enim in nobis naturā est Deo adversum, id totum hæc tria verba D. Iesu Christi funditus extirpare valent. Amamus nosmetipſos omnes naturā, & delectamur nostris cupiditatibus, adeò, ut is humanitatem perdidisse videatur, qui ista perdidit: At D. Iesus Christus eò nos adducit perfectionis, ut is Christianus homo esse nullo modo possit, qui ea planè non exuerit. Nihil hic ortus generis, nihil divitiæ, nihil potentia valet: sed ea tantum valent, quæ apud ipsum Deum preciosa sunt. Preciosa autem apud Deum ea esse non possunt, quæ is corruptioni necessariò obnoxia esse voluit.

Qui seipsum odit, & sibi ipſi valedicere incipit, is sublimem quidem in pietate Christiana gradum assecutus est: attamen ad multò sublimiorem, ei aspirandum est. Pro eo enim, quòd, dum ita vivit, amicitiam & amorem omnium polliceri se sibi posse credet, omnium odia in se convertet, & semetipsum omnium calumniis, & tandem extremæ calamitati prostituet, adeò, ut ei quotidiè, non quidem alterius ullius rei, sed solius D. Iesu Christi causâ, non tantum sit expectanda, sed alacri animo, si ita Deus velit, excipienda, non tantum jactura famæ aut facultatum, sed etiam vitæ discriminis subeundum, idq; modo omnium, qui dari potest, violentissimo & detestabilissimo.

Ita confirmato animo, necesse est hominem Christianum, in omni-

Præcepta Christi  
singularia mora-  
lia.

Mat. 16. 24.

Quid sit abne-  
gare seipsum:

Quid sit sumere  
crucem suam  
quotidiè.

Quid sit Christus  
sequi.

bus vitæ actionibus, sermonibus & cogitationibus, Domini Iesu Christi vitam sibi imitandam proponere, & totum se ad ejus perfectissimas qualitates componere, ut scilicet Deo totum se regendum permittat, & illi confidat; ut ardentissimo in Deum & proximum amore flagret, adeò, ut pro fratre vitam ponere: pro accerrimo verò hoste, nedum ut, de ulla vindicta cogitet, Deum etiam orare paratus sit; in summa animi demissione coram Deo altissimo perpetuò versetur; & amicitiae ejus per crebras fese preces insinuet, & eandem iisdem perpetuandis foveat. Overè divina (licet mihi denuò ita exclamare) præcepta: ô verè divinum talium præceptorum promulgatorem. Quicquid divinitatis (ut sic loquar) in doctrina illorum summorum Philosophorum inesse videbatur, & in ipsa lege Mosaica inerat, hic adeò vilescit & obscuratur, ut umbra tantum rei, & ipissima imperfectio, respectu præceptorum D. Iesu Christi, jure censeri debeat, quemadmodum etiam D. Paulus, dehortans Christianos, ne modum cultus divini aut veræ pietatis petant, vel ex Philosophia, (quam inanem seductionem, si scilicet eâ quis, ad hoc utrumq; ex ea statuēdum, uti velit:) vel ex illis mundi elementis, hoc est, lege, (quam traditiones humanas idèò appellare videtur, quia tūc traditiones & dogmata divina esse desierant, ea, quæ in lege, præsertim ceremoniali traduntur) hoc ipso argumento utitur, dum ait: *Quoniam in ipso nempe Christo, hoc est, in doctrina Christi. opponitur enim ibi Christus non personis, sed doctrinis, habitat omnis illa plenitudo divinitatis corporaliter.* Divinitatem aliquam non negat Apostolus fuisse in Philosophicis præceptis. Quicquid enim a Deo est, divinum est, Quicquid verò veræ sapientiæ est, illud a Deo est. Multò verò minus in lege Mosaica. Hæc enim Deum autorem habuit: Sed tantum ipsis omnib. opponit Christi doctrinam, ita ut utrumq; planè evanescat, quemadmodum ex oriente Lucifero, vel ipso etiam sole evanescant stellæ, evanescit luna, & nulla esse videtur, dum ait, in Christo habitare, hoc est, perpetuò & constanter reperiri, non corrigi, non augeri posse, ut ea, quæ in Philosophia & in lege, speciem & nomen divinitatis habebant, correcta & aucta fuere: divinitatis, hoc est, quicquid ad cultum divinum & veram pietatem pertinet: plenitudinem, hoc est, non ex parte: corporaliter, hoc est, res ipsa, non per umbras, ut in lege antea. Divinitatem igitur ejus planè insignem esse oportet, cuius doctrina tanta divinitate referentilla est.

Est unum adhuc præceptum singulare D. Iesu Christi, quod, quia externum & cærimoniale est, videri fortasse alicui possit a D. Iesu Christi tam divina doctrina alienum, & est, ritus celebrandi cænam Do-

Explicatio loci  
ad Colof. 2.

Col. 2. 9.

mini, per fractionem & comedionem panis, & per infusionem & bibitionem vini. Sed ego, ut nunc alia a taceam, crediderim, vel ex eo ipso posse constare unicuique, de ejus quadam divina præstantia, quod ab eo, qui legem Dei cærimonialem tandem abrogavit, quique merè & purè spiritualem cultum docuit, hæc sola cæmonia in numerum præceptorum ejus perpetuorum & universalium cooptata sit. Insignem enim esse oportet eam cæmoniam, quæ sola inter præcepta merè spiritualia locum habet. Extare autem eam Dominus Iesus voluit, & perpetuis temporibus a populo suo celebrari, ut tantæ rei, quanta est mors ejus illa violenta, cuius consideratio, efficacissimum in nobis, ad verum erga Deum & D. Iesum Christum amorem, & ex eo manantem fiduciam & pietatem, incitamentum est, perpetua extaret quedam quasi adumbratio, & solennis ac publica ejusdem commemoratio, annuntiatio, & concelebratio, dum scilicet panem ita frangimus & mandimus, & vinum infusum bibimus, quemadmodum olim Christi corpus sanctissimum, nostri hominum causâ, crudeliter contusum, & ante mortem, & in ipsa morte, & post mortem afflictum, & quasi fractum, ut Apostolus etiam loquitur; & sanguis ejus sanctissimus, nostri causâ largissime & ante mortem, & in ipsa morte, & post mortem effusus fuit, & pro isto tanto Dei & in primis Iesu Christi amore, debitas Deo & Iesu Christo gratias agimus, & cultum eis divinum exhibemus. Ob quam causam ista tota actio frangendi panem & bibendi vinum, corpus & sanguis Domini appellata est, non aliter, quam olim ista comedio agni paschalis inusitata (stantes enim, & baculos manibus tenentes, & calceatos, & properantes Israelitas edere illum oportebat) Phæse Domini appellabatur, quia scilicet istiusmodi Agni comedio, istius Pascha vel transitus, quo Deus, cum primogenituram omnem Ægypti interimeret, salvato suo populo, domus ejus transferat, solempnis sacrosancta & publica commemoratio, annuntiatio, concelebratio, & pro ea gratiarum actio, & cultus quidam divinus esset. Et hæc est propriissima, & unica ferè causa, ob quam cæmonia ista a Christo instituta fuit, & omnibus ejus discipulis perpetuis temporibus, usque ad Christi adventum ideo præscripta, quia causa, cur celebrari debeat, nempe solennis & publica commemoratio mortis Christi, perpetuo etiam usque ad adventum ejus duratura est. Præter hanc, quicunque aliam sequuntur, si vel in idolatriam, vel graves alioqui errores, ut incurvant, necesse est. Sed non est hic de eo dicendi locus. Nobis id nunc propositum est, ostendere, actionem istam, quantumvis cærimoniale, dignam tamen esse, que pro divina habeatur. Quod quia effectum esse credimus, (quomodo enim

non

Finis canonæ Do-  
minicae.

Cor. 11. 24.

Matth. 26, 26, 28

Exod. 12. 11.

non sit divinum, quod ad veram Dei & Iesu Christi gloriam pertinet?)  
jam ad alia pergere, compendiosa, quam proposuimus, tantæ rei tracta-  
tio requirit.

## C AP. VII.

*De promissō vitæ æternæ.*

**A**bsolutis igitur D. Iesu Christi præceptis, & ostensa ex illorum summa perfectione & divinitate, promulgatoris eorum etiam singulari divinitate, veniamus ad promissa, quæ munere D. Iesu Prophetico continentur, ut ex his etiam divinitas D. Iesu appareat, qui earevelavit.

Sunt autem duo potissimum promissa, quæ D. Iesus nobis revelavit. Alterum est vitæ æternæ: Alterum Spiritus Sancti.

Vitam æternam promissum esse Evangelii proprium, quantumvis hodie paucissimi id intelligere videantur, adeò veritati consentaneum est, ut, aliquid non minimum, ad veram Domini Iesu & muneric ejus cognitionem, deesse illis jure affirmari possit, qui hoc vel ignorant, vel de eo dubitant. Quod dupli modo sit: nempe, dum semel affirmatur, Adamum creatum fuisse immortalem: & iterum, dum affirmatur, eandem vitam æternam in veteri etiam fædere promissam Dei cultoribus fuisse. Quomodo enim id Evangelii proprium esset, quod vel in Adamo naturaliter fuerit: vel aliis ante Dominum Iesum revelatum, & cognitum fuerit? De Adamo, cum immortalem creatum non fuisse, res apertissima est. Nam ex terra creatus, cibis usus, liberis gignendis destinatus, & animalis ante lapsum fuit. Quæ omnia nihil cum immortalitate commune habent. Qui enim immortales aliquando futuri sunt, illi caelestes erunt, cibis non utentur, nec uxores ducent nec nubent, & spirituales evadent, vel spiritus vivificantes, qualis nunc est Dominus Iesus Christus. Quod ad tempora veteris Testamenti attinet, fatentur hodie omnes Iudæi, qui legis non possunt esse non peritissimi, & ejusdem observantissimi, quosque ideò nihil prætermissores plusquam credibile est, quod ad legem Mosaicam ostentandam pertinere posset, quale hoc esset, si vitæ æternæ promissum in ea extaret: inquit quos sibi non defuturos, nec tanta re scipios frustraturos certum est, fatentur, inquam, omnes illi Iudæi prudentiores, nullum vitæ æternæ apertum extare in ipsorum lege, vel, ut apertius loquar, in fædere, quod Deus cum eis per Moysen pepigit, promissum. In fædere au-

Promissa Evan-  
gelii duo.

Primum est vita  
æterna.

Dogmata huic  
veritati contra-  
ria.  
Adamus non fuit  
creatus immorta-  
lis.

*1. Cor. 15. 47.*  
*Gen. 1. 28, 29.*  
*§ 2. 7.*

*1. Cor. 15. 49.*  
*1. Cor. 6. 13.*  
*Luc. 20. 35.*

In veteri fædere  
non extat pro-  
missio vita æter-  
na.

tem id contineri necesse est, & non alibi, quod ad omnes Iudeos in universum pertineat. Quæ igitur hæc amentia est, Christianos, quorum hoc minus interest, quam Iudeorum, an in veteri Fædere promissum extet vitæ æternæ: imò quorum interest, Christi Domini sui, & suæ etiam præ populo Israelitico præstantiæ rationem habere, velle tamen ex sacris litteris veteris Testamenti probare, quod Deus in illo veteri fædere vitam æternam promiserit? Quod verò de fædere diximus, in quo oporteat contineri tale promissum, si ad omnes debeat pertinere, id ideo fecimus, ne scilicet quis producat quædam ex Prophetis veteris fæderis loca, quibus istam rem probare aut confirmare velit. Nam, ut ut id plausibile foret: non tamen sufficeret ad probandum id, quod in controversia est. cum certum sit, non ita ad omnes pertinuisse, vel etiam pervenisse voces Prophetarum, quemadmodum ad omnes pertinebat & pervenit vetus fædus. Quanquam nos persuasi sumus, nec in ipsis etiam Prophetarum scriptis, ullum extare apertum promissum vitæ illius beatæ & immortalis, cuius toties repetita promissio in sacris literis novi fæderis inculcatur. Sed nolumus hac de re nunc disputare: demonstrare tantum voluimus brevissimè, Domino Iesu soli & primo acceptum esse ferendum, quod promissionem & spem certain vitæ æternæ habeamus, unde appareat, nostros cætus, licet Christum blasphemare dicantur, rectius hac in parte eum cognovisse, quam omnes alios Christiani nominis professores. Nostri enim cætus confitentur, & demonstrare parati sunt validissimis testimoniosis & rationibus, Iesum Christum primum & solum tantæ rei fuisse præconem. Hinc illa: *In eo (Christo) illa vita erat.* Qùænam verò illa vita sit, idem Iohannes explicat, dum alibi ait: *Hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, Et hæc vita in filio ejus est:* Hinc D. Paulus, de Christo loquens, ait: *Qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, & incorruptionem in Evangelio:* Hinc Christus dicitur habere verba vitæ æternæ: Hinc fædus, cuius Christus mediator est, dicitur in melioribus promissis sanctum esse: Imò ipsa hæc est Evangelii periphrasis, quod superintroductio spei melioris appellatur, & hoc ipso legi opponitur. Et quid multa? Propter hoc ipsum Iesus Christus seipsum vitam & resurrectionem appellavit, quia scilicet primus utrumq; hoc beneficium mundo exhibuerit, & tandem credentibus datus sit: quædammodum etiam propter hoc ipsum veritatem se se appellavit, quia primus veritatem illam cælestem hominibus annunciârit. Tantum igitur bonum, quod solum divinum est, & divinum appellari meretur, quia nemo omnium unquam aliis revelavit & promisit, præter Iesum Chri-

*Iob. 1. 49.**1. Ioh. 5. 11.**2. Tim. 1. 10.**Iob. 6. 68.**Heb. 8. 6.**Heb. 7. 19.**Iob. 11. 25.**Iob. 14. 6.*

Christum, quis eum divinum esse dubitet? vel quis potius divinitatem ejus non admiretur, & præ admiratione ejus totus non obstupecat?

Nolimus autem quenquam opinari, nos, dum istud de Christi præstantia dicimus, negare, fideles illos Dei sub veteri fædere cultores, notitiam aut spem ullam vitæ æternæ habuisse. Qui enim credit Deum esse, hunc etiam credere necesse est, vitam esse æternam. Hanc enim Deus vivit. Rursus verò, quomodo homo non speret id, quod non potest esse non desiderabilissimum homini mortali & corruptioni obnoxio? Scitè enim illud dictum est: Immortalitatem quia maximè cupimus, Diis eam invidemus immortalibus. Quid deniq; est, quod videatur verisimilius, quam Deum, hominibus se timentibus, daturum æternam vitam, præfertim si eos in hac vita miris modis affligi patiatur, & id eis non largiatur, quo d in veteri fædere cultoribus suis promisit? Præterea extabant aliqua ejus rei indicia, raptus scilicet Enochii ante latam legem, & Eliæ post latam legem in cælum translatio. Quæ, si nihil aliud, saltem hoc, hominibus probrioribus & divinarum rerum studiis osioribus suadere poterant, fieri posse, ut homo mortal is immortalem vitam consequatur. Non negamus igitur, homines pios semper sperasse vitam æternam, & eandem cupisse: sed in ea tota versatur res, quod affirmatur, istud bonum vitæ æternæ, nec fædere inclusum, nec usquam populo aperte promissum fuisse. Spes omnis illorum conjecturis & consideratione justitiae Dei nitebatur: At nostra nititur Dei promissis, sæpiissimè iteratis & firmissimè confirmatis, ita ut in Deo esse dicatur: & Apostolus, suam spem de resurrectione, quam Iudeos expectare ait, in Deo sitam esse glorietur.

Et tamen rursus, ne quid dissimulemus, firmiter statuimus, etiam si promissio nulla aperta extet in veteri fædere vitæ æternæ: eam tamen aliquando datum iri omnibus illis, quicunq; Deo unquam confisi sunt, & eidem obediverunt. Hoc autem totum didicimus, aliquo modo ex eo, quod nihil impedit, quominus Deus id etiam det alicui, quod ei non promisit: quemadmodum etiam Ethnicis datus est Messias, & per eum salus, licet aperte illis promissus non fuerit, quin imò, ut Apostolus loquitur, olim spe promissionis caruerint. proprium enim Dei est, plus dare, quam promisit: maximèverò didicimus illud ex certis quibusdam argumentis, quibus Dominus Iesus usus fuit ad demonstrandam resurrectionem hominum justorum, Abrahami, Isaaci, & Iacobi, unde etiam de aliis eorum similibus, idem statuere jure possumus. In qua tota re tamen, nisi ea nobis a Christo digito quasi ostensa fuisset, proculdubio caligaremus, & verè cæcutiremus.

Sub veteri Fædere cognitio fuit & spes esse potuit vitæ æternae.

*I. Ioh. 3. 3.  
I. Petr. 1. 21.  
Act. 24. 15.*

Vita æterna dabitur etiam illis, quibus promissa non fuit.

*Eph. 2. 12.*

*Matth. 22. 31.  
Luc. 20. 37.*

Quòd si quis quærat, cur Deus non omnibus illis vitam æternam revelárit & promiserit, quibus eam datur est? Huic respondemus, Deum, praterquam quòd, cur aliquid faciat, vel non faciat, nemini rationem reddere tenet, voluisse, ut omnibus sufficientissimè constaret, vitam æternam non esse naturale aliquid, nobiscum natum, sed merum purum Dei beneficium, ut tantò etiam magis ab hominibus appetetur, & in majori precio esset. Ad id autem efficiendum hunc Deus pro sua profunda sapientia modum elegit, ut homines id planè lateret per tot secula, nec cuiquam certò constaret, eam datum iri homini mortali, ut ita vel ex hoc beatitas eorum, qui hisce ultimis seculis vixerunt, apertè colligi possit, qui, ut Christi verbis utamur, videant & audiant ea, quæ multi reges, prophetæ & justi videre & audire cupierunt, nec tamen ea vel viderint, vel audierint. Secula illa omnia, quæ Christi adventum in mundum antecessere, infantia mundi fuere. Ergò ut infantes Deus etiam omnes illos tractavit, qui tunc temporis fuere; (infans autem licet hæres sit, nihil differt a servo) promissa scilicet terrena tantum eis dando: At secula hæc, quæ a Christi in mundum adventu adhuc labuntur, secula sunt ultima, &c, ut ultima, sic etiam perfectissima & plenissima, & fines, hoc est, perfectiones seculorum. In hæc igitur Deus reposuerat tanti boni, vita æternæ, revelationem, quæ est propria Evangelii promissio, quemadmodum benedictiones terrenæ, propria fuerunt legis promissiō.

*Evangelium promittit etiam bona terrestria.*

*I. Tim. 4. 8.*

*Quatenus ista promissio extendetur.*

*Mat. 19. 23, 24.*

*Matth. 6. 33.*

Quanquam ad Evangelij præstantiam ostendendam notandum est, non tantum in hoc id præstare legi, quòd Evangelium cælestia & æternabona promittit, quæ lex non promittebat: verùm etiam, prater illa cælestia & æterna, non negat hæc terrena & temporalia, quæ lex promittebat. Habet enim promissionem pietas Christiana hujus & æternæ vitæ. Promittit igitur Evangelium tantum bonorum terrenorum & temporancorum, quantum nobis ad vitam hanc sustentandam satis est; & quodcunq; veri commodi aut jucunditatis, ex terrenis & temporaneis rebus, sperari potest, id totum concessit generaliter Deus omnibus, qui in Christum credunt. Quod verò tantum nobis bonorum terrenorum non promittit, quantum lex, hoc ipsum, beatitatis nostræ particula vel causa quædam ad eam adjuvans, censendum est. Cultus enim Dei, præsertim is, qui in novo fædere nobis præscribitur, cum possessione bonorum, quæ ad vitam sustentandam necessaria non sunt, difficulter convenit; & si ea non necessariò vitæ æternam tollit, saltem difficillimum ad eam aditum facit. Dat igitur, vel, ut ipse Dominus loquitur, adjicit Deus omnia ista cīs, qui ex animo regnū Dei & illam iustitiam

stitiam ejus quærunt. Quòd si verò cui Deus ista bona terrena , quæ Evangelium promittit, non dat, vel etiam data iterum ei adimit, hic tantum abest, ut infelix propterea censendus sit, ut potius beatum se prædicare possit. Compensabitur enim ei id omneabundè, uno illo vita æternæ præmio, quod tanti precii est, ut Deus, salvâ justitiâ, potuerit iis omnibus, quibus summam affluentiam bonorum terrenorum in legge promiserat, ea denegare, propter hoc solùm, quia scilicet vitam eis æternam dare decreverat, licet eam illis non promisisset: nendum ut grave videri debeat, si Deus Christianos, quibus bona terrena parcissimè promisit, egestate exploret. Videat nunc, & consideret pius lector, quomodo omnino incomparabile bonum sit vita immortalis, & hinc cum divinum esse agnoscat, qui primus hanc mundo revelavit, &, ut prægnante illa Iohannis voce utamur, enarravit, hoc est, disertissimè & apertissimè absq; umbris & involucris prædicavit, & sæpiissimè, imò quotidiè & continenter per aliquot annos prædicando iteravit, cujus rei causâ etiam Dominus ipse dixit: *Ecce hic plus est, quam Salomon; Ecce hic plus est, quam Ionas.* Salomon enim terrenam tantum sapientiam docere alios poterat; verè cælestem nullo modo: Ionas verò minas solas, easq; semel tantum prædicabat.

Ioh. 1. 18.

Matth. 12. 41.

42.

Matth. 11. 41

Et certè, quanta sit hujus rei, quòd tantum bonum hominibus annuciavit Iesus Christus, præstantia & divinitas, ex eo constare unicuiq; potest, quòd Christus Iesus, ostensurus, se Iohannis Baptista testimonio amplius non indigere: sed jam alia extare, quæ cuivis fidem facere possint, eum esse illum, qui venturus erat, tam ejus, quod legati Iohannis audire poterant, nempe doctrinæ, quam eorum, quæ tunc vide-re poterant, nempe miraculorum, (de quibus postea dicemus) memini-  
nit; & ex eo etiam, quòd pauperibus, (hoc est, si Dei voluntatem respici-as, hominibus mortalibus & peccatoribus: si effectum, ex animo humili-  
ibus,) Evangelium, hoc est, illa promissio vitæ æternæ, annunciatur, colligi vult, se esse Christum illum venturum. Nam neminem alium decebat, tantæ rei annunciatorem esse, præter promissum Messiam: & jure is Messias & Servator mundi habendus est, cui tantí boni (quod o-  
mnem humanum intellectum superat) annunciationem creditam esse, con-stabat. Sed nunc pergamus ad alia.

## C A P: I X.

## De Promisso Spiritus Sancti.

**A**Dhuc de priori promisso, Evangelii proprio, sermonem habui-  
mus: Nunc ad alterum transimus, quod diximus esse promis-  
sum Spiritus sancti. Quod promissum quale sit, ut tanto recti-  
us intelligatur, operæ precium est probè attendere, quid sacræ literæ,  
præsertim verò scripta novi Fæderis, per hanc vocem, Spiritus sancti,  
intelligant, ne diversa vocis significatio rei etiam ambiguitatē pariat.

Prima significa-  
tis vocis Spiritus  
Sancti.

1. Cor. 2.9.

2. Tim. 1. 11.

2. Cor. 3. 6.

6. 17.

1. Cor. 8. 7.

1. Cor. 12. 3.

Significat igitur primùm vox ea Spiritus sancti, propriè eam Dei  
virtutem, quā res, quibus cum ea communicatur, ab aliis quasi sepa-  
runt, & ita sanctificantur. Ob quam causam etiam ipsum Evangelium  
& ejus annuntiatio, Spiritus Dei appellatur, ut, cum Apostolus dicit,  
ea, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, & quæ in cor hominis non  
ascenderunt, quæ scilicet Deus præparavit diligentibus illum, ea (in-  
quam) Deum revelasse per spiritum suum. Ea enim, quæ oculus non  
vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt, nihil aliud  
funt, quām ipsa vita immortalis, & via eam consequendi. Certum au-  
tem est, ea per Evangelium esse revelata, ut apertè testatur locus suprà  
a nobis citatus, in quo Apostolus ait, Christum vitam & immortalita-  
tem illuminasse per Evangelium. Certum igitur similiter est, Evange-  
lium appellari spiritum Dei. Ob quam causam etiam Divus Paulus,  
seipsum & alios Apostolos, appellat ministros novi Testamenti, non  
literæ, (legem, ut ex sequentibus videre est, intelligens) sed spiritus.  
Paulus autem fuit minister Evangelii. Imò, infra in eodem cap: ait:  
*Dominus est spiritus*, intelligens per Dominum, eum qui *κατ' ἔφο-  
χὴν* in novo fædere sic appellatur, Iesum Christum. Is enim est nobis  
unus Dominus. Per Iesum Christum verò μετρυμένas doctrinam ab  
eo traditam, nempe Evangelium, quemadmodum ver: præcedente, per  
Mosen, legem per eum traditam intelligit, dum ait: *In hunc usque  
diem cum Moses legitur*, &c. Hinc etiam ait idem Paulus: *Nemo potest  
dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto*. Quod certè idem est, ac si  
dicat, neminem agnitorum, Iesum esse Dominum, nisi per Evangelium  
Iesu Christi id ei reveletur, ut locus ipse id satis apertè docet. Op-  
ponuntur enim ista verba præcedentibus, in quibus Paulus Corinthiis  
in mentem revocat eorum infelicem conditionem, in qua hærebant,  
dum adhuc erant ethnici, quòd scilicet tunc ad simulachra muta, pro-  
ut ducebantur, abducti fuerint. Ergò sequentia verba conditionem e-  
orum, in quam translati deinde fuerunt, significare necesse est. Ea au-  
tem

tem conditio est, quod Evangelium Domini Iesu, & per illud Deum & & ipsum Iesum Christum cognoverant. Hinc deniq; de illis, qui Christi Evangelium audierunt & receperunt, dicitur, eos esse in spiritu, & spiritum Dei in eis habitare, quantumvis fieri possit, ut illi, suâ tamē culpâ, pereant, si scilicet secundum illum spiritum non vivant, ideoq;, ut secundum illum vivant, ibidem Apostol<sup>o</sup> summo perè adhortatur Romanos.

Sic verò visum est Deo appellare Evangelium, nomine Spiritus Dei vel Spiritus sancti, primùm, quia omnia ea, quæ in Evangelio continentur, non sunt commenta humani ingenii, nec in captum hominis, quantumvis prudentissimi & sagacissimi cadunt: sed a divino pendent afflatu, qui cum hominibus per revelationem communicatur. Hinc illud Pauli: *Animalis homo* (hoc est, homo naturaliter consideratus) *non percipit*, hoc est, non est tantæ sagacitatis, ut possit a seipso indagare & expiscari, ea quæ sunt spiritus Dei, hoc est, vitam æternam, & in primis viam ad eā perveniendi, quod utrūq; Deus hominibus in Evāgeliō revelavit. *stultitia enim illi est*, non quidem simpliciter vita æterna. hanc enim nemo non expetit: sed via, quam Deus monstravit hominibus eam certò consequendi. Nec immeritò quidem. Cùm enim nulla religio & cognitio Dei sit naturalis, sed opus sit eam alicui divinitus revelari, quomodo ea religio & cognitio Dei, quam Evangelium proponit, quæ est omnium perfectissima, naturalis esse, & ab humano cerebro dependere dici potest? Tanta est enim præstantia & sublimitas promissorum Evangelicorum, ut ne acutissimum quidem hominis ingenium tantam sibi salutem vel imaginari ausum sit, nedum eum sperare potuerit: Tanta etiam præceptorum Evangelicorum sanctitas est & puritas, ut omnes omnium probissimorum hominum, nedum mores & actiones, sed & cogitationes, quas de benè vivendi ratione concipere ipsi, & aliis proponere potuissent, longissimè supereret. Qua de re jam anteā dictum aliquid est.

Deinde ob hanc etiam causam Evangelium Iesu Christi, Spiritus Dei vel Spiritus sanctus appellatur, quia ejus promissa & præcepta propriè spiritum nostrum & mentem respiciunt & afficiunt, & cunctum etiam Deo consecrant, & ex hominibus carnalibus spirituales efficiunt. Sola enim mens nostra sentit & sapit, quid sit immortalitas: caro & corpus nostrum ad ista stupidum & quasi truncus est. Quæverò aliae sunt voluptates, ad illas summi vi rapitur, & eas avidissimè expetit, & seipsum eis explet & recreat. Sola etiam mentis illustratio tantā pietatem producere potest, & ita animam & corpus Deo mancipare, ut nihil aliud agant, quam quod voluntati ipsius sit maximè consentaneū.

Rom. 8. 9.

Cur Evangelium  
Spiritus appelle-  
tur.

1. Cor. 2. 14.

2. Cor. 3. 6.

Rom. 7. 10.

Altera significa-  
tio vocis Spiritus  
sancti.Dona Spiritus  
sancti. tempora-  
ria.

Rom. 8. 23.

Cur dona Spir-  
itus sancti aspe-  
ctabilia cessarent

Deniq; etiam ob hanc causam, Spiritus nomine Evangelium Christi appellatur, quod non tantum facienda præcipiat: verum etiam vires ad ea, quæ præcipit, exequenda suppeditet. Hinc Apostolus ait: Literam occidere, Spiritum vero vivificare, per literam, legem; per Spiritum vero, Evangelium intelligens, ut ipse locus testatur. Legem appellat literam, quia tantum præcipiat multa facienda. Occidere eam ait, non per se, nam respectu divini decreti data erat ad vitam: sed per accidens, nempe respectu infirmitatis humanæ, quæ, quia per exiguis a lege juvabatur promissis, non poterat præstare id, quod lex præcipiebat, & ita mortem ex Dei decreto consequi necessitate fuit. Evangelium autem Spiritum appellat, quia divina in eo promissa proponantur. Vivificare autem illud ait, quia ista promissa plurimum juvant ad præstanta Dei præcepta, & ita vitam ex decreto Dei consecuturā, pariter certum est.

Deinde vero Spiritus sancti voce, notatur insigne aliquod donum, quod iis, qui Christi doctrinā sibi annunciatam recipiunt, & eidem parere conantur, a Deo datur, quo illi sanctificantur, hoc est, ab aliis omnibus, qui Christi doctrinam sibi annunciatam repudiant, & eidem obediere nolunt, separantur. Illud autem donum dupli modo, sub ipso novo fædere, consideratur. Aliud enim est, quod ad certum tantum tempus duravit: aliud perpetuum, & hoc quidem invisibile est: illud vero visibile fuit.

Donum Spiritus sancti, quod ad tempus duravit, continebat illa stupenda miracula, & alias miraculosas operationes, quæ primitus contingebant generatim iis, qui in Christum crediderant. Erant enim alii vates, alii linguarum periti, alii sanationis dono præstabant, & plerique miraculis celebres erant. Quade re videantur in primis c. 12. & 14. prioris ad Corinth. Epistolæ. Cujus Spiritus primitias, hoc est, partem potiorem & primam, consecuti erant Christi Apostoli, tanquam duces istius militiae Christianæ, & fundatores Ecclesiæ. Quanquam istæ primitiae Spiritus, quibus Apostoli prædicti erant, ad alterum etiam illud Spiritus sancti donum, invisibile scilicet & perpetuum, referri possunt. Nam & in eo procul dubio, ut primi, sic præcipui omnium Apostoli erant, de quo deinde dicemus.

Prius enim id expediemus, cur Deus ista dona Spiritus sancti aspectabilia, ad tempus tantum durare voluerit, ne quis fortasse minoris nunc faciat Christianam religionem, quam eam fieri par est, propter hoc ipsum, quod donis ictis aspectabilibus hodie caret. Tantum autem abest, ut propterea religio Christiana minoris fieri debeat, ut potius hinc ejus summa præstantia necessariò appareat iis, qui oculos mentis

a Deo

a Deo illustratos habent. Erant enim istae miraculosa operationes fulcrum quodam modo , quo recens revelata Christi doctrina & religio fulciebatur , ne propter suam novitatem apud homines , qui externis magis semper moventur , quām internis , contemtibilis esset. Quemadmodum etiam vetus illud fædus , tot apparitionibus , tot miraculis , & aliis rebus similibus subinde propterea confirmabatur , quia scilicet imperfectum esset , & facile ad illud spernendum adduci potuissent homines , nisi subinde his confirmationibus suffulti suissent. Postea verò quām ista novitas Christianæ religionis cessavit , & homines paucatim , diviniissimis , quibus ea nititur , fundamentis assueverunt , & ita doctrina jam satis superq; confirmata fuit , voluit ipse Deus , ut ista omnia miracula & miraculosa operationes cessarent. Requirebat hominum infirmitas , ut ad tempus novitas Christianæ religionis eis commendaretur : Rursum requirebat Christianæ religionis perfeccio , ut non perpetuò istis niteretur fundamentis , quasi per se tantas non habeat internas rationes , quæ homines probos , ad eam avidissimè amplectendam & constantissimè retinendam , permovere possent. Noluit Deus ab initio nimium aliquid ab hominibus postulare , ut tamen perfectæ religioni , absq; evidenter & palpabilibus argumentis , fidem adhiberent. Probè enim Deus sciebat , illud superare humanam infirmitatem : Noluit autem vicissim Deus perpetuò ea argumenta extare , quæ homines quodammodo cogerent , ut , licet nullo pietatis affectu ducerentur : tamen miraculorum impetu , & vita æternæ , quæ annunciatur , nimia cupiditate , raperentur ad fidem Christo habendam : sed iis sublatis , ea tantum restare voluit , quæ non omnibus in universum , sed solis tantum probis & sanabilibus , & ad vitam æternam aptis , satis essent ad fidem in Deo per Iesum Christum collocandam , quæ , qualia & quanta sint , deinceps , cum de confirmationibus doctrinæ Christi agendum nobis erit , recensemus. Itaq; ut hic Christi verbis utamur , Beati quidem erant omnes , qui tunc credebant , cum miracula & aliæ operationes divinæ inter homines durabant : at multò beatiores sunt illi , qui nec Christum nec miracula viderunt , & tamen crediderunt. Et certè plures hominum myriades in Christum & olim credidisse , & nunc credere , qui nulla unquam miracula externa viderunt , quām fuerint eorum , qui ea viderunt , plusquām verisimile , imò ipsissima veritas est. Quod ipsum rursum mirificissimi miraculi loco ducendum est , nempe absq; externis ullis auxiliis , qualia fuere olim miracula , tamen perfectam religionem & olim suscepit esse , & hodie etiam a tot hominum milibus soveri. Et hæc quidem quasi obiter dicta sunt , infra enim deinde aliquid hac de re dicendum erit.

Ioh. 20. 29.

Hoc autem significatum vocis Spiritus sancti , de quo hactenus differuimus, nondum id est, de quo sermo noster institutus est, quia scilicet nec universale nec perpetuum erat illud ; nec signum omnino certum & indubitatum erat, veri discipuli Iesu Christi, istâ potentia prædictum esse , cum non minus etiam quandoque improbis , eadem concederetur, qui scilicet Christi nomen profitebantur , ut vel hinc augusta ejus religionis magnificentia omnibus elucesceret , quæ non tantum iis, qui eam re ipsa receperant , verum etiam illis, qui ore tenus tantum eam profitebantur , tantum concederet donorum planè divinorum. *Multi enim, ait Dominus, dicent mihi in illo die: Domine, nonnē in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus: & in nomine tuo multas virtutes fecimus?* Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos , discedite a me omnes , qui operamini iniquitatem. Quanquam rursus omnino credibile est, istam virtutem adem tam fuisse illis, qui planè essent insanabiles , ut iterum hinc appareret Christi doctrinæ præstantia, quod scilicet, quantumvis Deus magnificaret confessionem religionis Christianæ in hominibus : tamen ea non sufficeret ad salutem , sed requireretur præterea ipsissima pietas. Videntur igitur, quodnam sit illud Spiritus sancti donum, de quo hic nominatim loquimur.

*Necessariam esse  
doctrinam despi-  
ritu Sancto.*

*Matth. 28.19.*

*Ioh. 17. 3.*

*Quid sit Spiritus  
Sanctus qui est  
promissum novi  
fæderis.*

*2. Cor. 1.22.*

*& s.s.  
Eph. 1.14.*

Donum vero hoc Spiritus sancti inaspettabile & perpetuum quid sit , certè operæ precium est diligentissime indagare. Nec enim frustra jussit Christus baptizare eos, qui discipuli sui futuri essent , tām in nomen illius Spiritus sancti , quām in nomen illius Patris , & illius Filii : Imò hinc apertissimè constat , tām necessariam esse doctrinam, quæ est de Spiritu sancto , generaliter accepto, quām eam, quæ est de Patre & Filio. Quām autem sit necessaria doctrina de Patre & Filio, vel hinc apparet, quod in cognitione Patris, qui est ille solus verus Deus , & Filii , quem scilicet ille misit, vita æterna, Christo ipso teste, consistit. Cognitionem autem Patris & Filii, non nisi per doctrinam contingere, omnes confitentur.

Sic igitur statuendum est, Spiritum illum sanctum, qui est promissum novi fæderis proprium, nihil aliud esse , quām spem vitæ æternæ nobis a Deo missam , quam in animis nostris sentiamus, certam & firmam. Propterea enim appellatur spiritus ille pignus , vel pignus hereditatis nostræ , & simul de eo dicitur, quod in animos nostros infundatur.

Extare autem tale promissum, quod omnibus in universum & singulis, qui in Christum credunt, sperandum sit , apertissimè docent illa

Christi

Christi verba: *Si vos, mali cum sitis, nos tis bona dona dare filius vestris,*  
*quantiò magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum sanctum potentibus se?*  
*Quod quidem promissum in veteri fædere omnibus propositum fuiss-*  
*fe, nemo, opinor, affirmabit. Vbi enim apud Mosen tale quid legitur,*  
*quòd Deus, omnibus sibi obedientibus, Spiritum sanctum datus sit?*  
*Et certè, si tunc Spiritus sanctus promissus & datus fuisset omnibus,*  
*non ita impossibile fuisset, ut lex Dei perfectè observaretur. Quod*  
*tamen impossibile fuisse, abundè testatur Divus Paulus cap:7. & in ini-*  
*tio cap: 8. epist:ad Romanos.*

Non debet autem aliquis suspicari, nos negare, Deum multis fide-  
libus Spiritum suum sanctum dedisse sub veteri etiam fædere. Is enim,  
qui sic suspicaretur, graviter erraret. Credimus Deum dedisse spiritum  
suum multis: sed non omnibus legi obedientibus; & illis multis credi-  
mus Deum dedisse illum spiritum, ex singulari sua gratia: sed non ex  
promisso. Dabatur Spiritus sanctus Prophetis & regibus piis, partim  
ut futura prædicerent, partim ut alios ad legem Dei observandam tan-  
tò acriùs extimularent, partim denique ut legi Dei, quantum quidem  
humana fert imbecillitas, parerent. Nam quod Rom: 7. legitur, illud  
generaliter, non autem universaliter intelligendum est; & non de eo,  
quod sub veteri fædere siebat a quibusdam: sed quod vi veteris fæderis  
siebat, accipiendum. Potuit autem Deus semper, præter id, quod in  
fædere continebatur, facere, quodcunque volebat: At nunc eares, om-  
nibus & singulis, qui in Christum credunt, promissa est. Sed ad rem.  
Dicimus igitur, Spiritum sanctum nihil aliud esse, quam certam & fir-  
mam spem vitæ æternæ.

Quantumvis enim certum sit, homines per ipsam auditionem E-  
vangelii spem vitæ æternæ concipere posse: ( cur enim in Evangelio  
vita æterna promitteretur, si homines ex ejus prædicatione spem ejus-  
dem concipere non possent? ) tamen vicissim certum esse videtur,  
ad gignendam istam certam & firmam spem vitæ æternæ, adeò ut quis  
vi illius, nihil non facere & pati Christi causâ, possit & velit, omnino  
requiri, ut ista promissio, in Evangelio externo modo annunciatâ, in-  
terior modo a Deo in cordibus nostris confirmetur. Nimis enim sub-  
limia sunt, quæ Christus nobis promittit: ut etiam nimis sunt vires no-  
stras superantia, quæ præcipit.

Nec statuendum est, omnibus illis, quibus Evangelium annuncia-  
tur, statim etiam donari hoc alterum Evangelii promissum: sed obser-  
vandum est, hanc esse inter utrumque promissum differentiam, quòd,  
licet Evangelium utrumque hoc promittat: tamen non omnibus si-

*Luc. 11.13.*  
*Vbi extet pro-*  
*missio Spiritus*  
*santi.*  
*In veteri Fædere*  
*non extabat pro-*  
*missio Spiritus*  
*santi.*

*Cur necesse sit*  
*Spiritu s. pro-*  
*missum esse.*

*Spiritus sanctus*  
*non datur, nisi o-*  
*bidentibus E-*  
*vangelio.*

mili modo. Nam prius promissum vitæ æternæ, omnibus contingit, ad quorum aures pervenit Evangelium, & qui illud recipiunt, ita, ut illud totum a Dei potius voluntate, quam ab ullo studio hominum pendeat: Hoc verò alterum Spiritus sancti promissum, contingit tanquam illis, qui Evangelio ex animo obedient, adeò, ut, licet ipsa obedientia donum hoc non mereatur: tamen absque obedientia antecedente nemini unquam sit eventurum. Quod ex repari colligere facillimum est. Non dabatur Spiritus sancti donum, illud aspectabile & ad tempus durans, nisi iis, qui verè & ex animo in Christum credidissent. Quomodo igitur, hoc donum Spiritus sancti inaspectabile & perpetuo durans, daretur ei, qui in Christum verè & ex animo non credat, hoc est, ei non confidat, & obediatur? Nec mirum sanè. Cur enim donum superadderetur dono absque omni urgente necessitate? Cùm non necesse habeat is, cui annunciatum Evangelium, ut interno aliquo prætereà modo a Deo ad credendum cogatur; nec, ut cogatur a Deo, religio, quæ spontanea est, fert assertare, aut sentire. Nihil enim aliud, postea quam Deus hominem antevertit annunciatione Evangelii, ad id, ut fides eidem adhibeat, requiritur, quam hominis voluntas, quam liberrimam Deus creavit, & semper esse voluit: Attunc, cùm quis totum se Deo permisit, & motus vitæ æternæ amore, viam pietatis ingressus est; interim verò plurima sunt, quæ cum oppugnant, & saluti ejus insidiantur, planè justitia ipsa requirere videtur, ne Deus talem in medio cursu deserat, sed omni cum ratione juvet, ut ita incœptum perficere possit.

*NB*  
Spiritus s. do-  
num non necessa-  
riò semper durat  
in creditibus.

Videtur autem & hoc observandum, promissum quidem esse omnibus & singulis in Christum credentibus, donum Spiritus sancti; & certum esse omnibus illud dari: sed tamen non videri omnino necesse esse, ut in hominibus, quibus semel datum est, perpetuò illud habitet, & duret. Durat quidem hic Spiritus sancto perpetuò, quatenus nemini credenti negatur: at non durat perpetuò isto modo, ut perpetuò in hominibus habitet. Imo causæ subesse videntur, cur non sit omnino necesse, ut perpetuò in iis habitet, quibus semel est datus. Primum enim obscuraretur planè virtus prioris promissi, nempe vitæ æternæ, quæ tamen non potest efficaciâ suâ carere, propter suam singularem præstantiam & certitudinē. Si enim vulgaris boni incerta spes homines sui oblitos reddit, adeò, ut extrema perpeti, & vitam profundere paratiissimi sint:

*Impiger extremos currat mercator ad Indos,*  
*Per mare pauperiæ fugiens, per saxa, per ignes:* miles summa  
*cū alacritate, mille molestias & ipsum vitæ discrimen adit, ut vel gloriæ,*  
quam

quam somniat, immortalem, vel commoda huius seculi consequatur: Adeōne erimus injusti rerum estimatores, ut illud idem summi boni certissimam spem efficere posse negemus? Potest igitur homo plane multū præstare absq; ista Spiritus sancti singulari opera: Imò, ut, quod sentio, palam proferam, tanta est vita æternæ vis, ut, si quis ex animo eam esse credit, omnia facere & perpeti possit, quæcunq; Christus nobis præcepit. Quod verò pleriq; auxilio præterea singulari opus habent, hoc non sit imperfectione ipsi vita æternæ, sed imbecillitate hominum. Quam quidem Deus sublevat, non aliud quid suggestendo fidelibus, præter id, quod antea audivere ex doctrina Evangelii: sed illud ipsum in memoriam eis revocando, quod ex ea, vchementia afflictionum vel cupiditatum, extruserat. Deinde, si perpetuò homini inesset semel ei datum donum Spiritus sancti, facile fieri posset, ut suspicaretur, se suā id industriā consecutum esse, nec ei id adimi posse, & idē tantum bonum vilesceret. Voluit ergò Deus, ut subinde homines illud a se precebus exorarent, & tanquam rem rarissimam haberent carissimam, & ita semper toti a se penderent.

Vtitur igitur Deus auxilio isto suo singulari ad juvandum fideles, eo modo, quo Angelorum operâ eum uti, Sacra testantur literæ, nempe sicut emittit, quoties opus est, angelos, ad ministerium eorum, qui salutem consecuturi sunt: Sic etiam, quotiescunq; opus est fidelibus, toutes istud auxilium Deus habet paratissimum; & eo, si quid defit hominibus verè probis, illud totum supplet. Qui quidem modus, quo Deus id facit, adeō divinus est, ut nemo fando illud asequi possit: & tamen reipslā illud dari, nemo negare potest. Videm⁹ & experimur, homines alias infirmos & timidos, omnia extrema ferre & superare; audimus homines, anteā prætimore tantum non exanimatos, intrepidè sese in extremo mortis violentissimæ agone gerere: accidit etiam nobis ipsis saepenumerò, ut ardenter ad omnia pietatis officia simus, quām alias sumus: & tamen, quomodo illud vel nobis vel aliis accidat, nescimus. Adeō scilicet divina est, hæc nostræ sanctissimæ religionis Christianæ particula: adeō augusta in ea omnia. O divinissimum bonum, quod religio nostra continet, omnibus, ad quorum ea aures pervenerit, promissum: o divinissimum, omnibus, qui eam receperunt, promissum auxilium. Divinissimum igitur etiam tam divinarum rerum annunciatorem Iesum Christum. Quod si verò hic ostendere vellemus, Iesum Christum istius tanti doni, Spiritus sancti, solum datorem etiam, ab ipso ascensionis suæ tempore fuisse, & etiam nunc esse, bone Deus, quantò clarius

Modus, quo datur  
Spiritus Sanctus,  
divinus.

Domini Iesu elucesceret divinitas. Sed hoc reservamus ad Christi manus Regium & Sacerdotale. Nunc ad alia, ut pergamus, tempus est.

## C A P. I X.

## De Christi doctrinæ &amp; vitae puritate.

**D**Ocuius haec tenus Iesu Christi præstantiam & divinitatem ex iis, quæ ad ipsius muneris Prophetici unam partem pertinent, nempe ex voluntatis divinæ revelatione. Nunc igitur perpendamus, quanta Christi præstantia & divinitas elucescat ex iis, quæ ad confirmationem hujus divinæ voluntatis addidit. Quod igitur ad ea attinet, quibus divina voluntas, quam Christus annunciat, confirmata fuit, ea sunt, primùm illius Sanctitas & puritas: Deinde potestas: Tandem afflictiones & mors. Quæ omnia, divina, & verae divinitatis ejus certissima indicia fuissent, facile erit ostendere.

Sanctitas enim & puritas Iesu Christi, tanta fuit, ut si doctrinam respicias, nullius erroris a quoquam convinci potuerit: si vero ipsam vitam & actiones ejus, nullum ipse peccatum commisit, nec inventus est dolus in ore ejus.

Errare adeò humanum est, ut verè dictum sit, omnem hominem esse mendacem, hoc est, neminem esse, in quem cadere non possit, ut errret & fallatur. Labi verò & peccare tam est proclive homini, ut nemo omnium absque crimine fuisset in sacris literis legatur, & pro Maxima hoc ponat Divus Iohannes: *Si dicamus, quod peccatum non habemus, vel, ut paulo inferius ait, quod non peccavimus, mentimur, & non est in nobis veritas, mendacem Deum facimus, &c.* Quinetiam ipsam Angelorum naturam tales non fuissent, quæ non possit errare & labi, lapsus bonæ partis eorum, qui hodie sunt diaboli, satis superque testatur. Solum Iesu Christi individuum, homo licet fuerit, ex hisce humanis accidentibus exemptum fuit: Solus Dominus Iesus id dicere ausus fuit: *Quis vestrū arguet me peccati?* Sola Domini Iesu doctrina talis est, in qua non tantum nullum mendacium: sed etiam nullus error vel minimus, imò ne species aut suspicio erroris ulla demonstrari potest: nihil ei addi, nihil detrahi potest: amat in lucem produci, omnium iudicis & censuris exponi; & quod magis ea in dubium vocatur, & controvertendo teritur: tanto magis veritas ejus elucescit, & ipsa nitescit: Reliquæ doctrinæ humanæ omnes, multa continent falsa, plura dubia, plurima superflua; & quod magis in eas inquiritur, tanto incertiora ap-

Quænam sint cōfirmationes E-vangelii Iesu Christi.

Sanctitas in Christo duplex, doctrina & vita.

Psal. 116. 11.  
Rom. 3. 4.

¶ Ioh. 1. 8, 10.

Ioh. 8. 46.

parent

parent earum principia. Omnes doctrinæ aliæ, multis verborum ambagibus, vix aliquid minutissimum rectè effari possunt; multùm verborum continent, paululum rerum: Sola Iesu Christi doctrina, verborum habet paululum: rerum plurimum: ita, ut unum atque alterum sacrarum literarum granum, præstet ingenti palearum aliarum doctrinarum fæco. Omnes aliæ doctrinæ ita sunt comparatae, ut aliqua earum imperfectio, & humana quædam impuritas in eis manifestè appareat: Sola Iesu Christi doctrina omnis labis expers, castissima, purissima est. Omnes doctrinæ aliæ hoc ipso se produnt, quod sint humanæ, quod solâ humanâ industriâ comparari possunt: Sola Iesu Christi doctrina divina est, & θεοπνευστὸς, ut pote quam homines, aliâs rudissimi & idiotæ, revelaverint, de quibus nulla suspicio iusta, quod eam commenti sint, idèo esse potest, quod omnium sagacissimi comminisci eam, quantumvis voluissent, non potuerint. Doctrina etiam legis Mosaicæ, quæ Deum autorem habet, licet & ipsa sit verissima: fuit tamen respectu doctrinæ Christi ita insufficiens, ut lumen est, quod lucet in loco tenebroso, respectu luciferi, vel ipsius solis, cùm oritur: Multa ei addidit Dominus Iesus: multa præcepit, quæ sub lege erant incognita: multa etiam interdixit, quæ sub lege liberū erat facere, & propterea, ut cum Paulo argutemur, voluit Deus faciem Mosis esse velatam, ne filii Israel intuerentur fine mabolendi, quia scilicet, si licuisset Israelitis diligentissimè inquirere in legis dogmata, procul dubio non tanti plurima fecissent, quanti ea feceré: Nostra vero religio, cuius Dominus Iesus auctor est, apertissima est, & nihil habet dedecoris: nihil, cuius aliquem pudere debeat: nihil, quod imperfectionis alicujus accusari jure queat; & nos, qui Christi sumus, facie revelata gloriam Domini speculamur, &, ut uno verbo multa vel potius omnia, quæ ad hanc rem pertinent, dicamus: Tanta est auctoritas, tanta maiestas doctrinæ Christi, ut olim apud illos antiquissimos ejus professores, præsertim vero gentes extraneas, recepta & pro divina habita sit lex Mosaica, & hodiè etiam habenda sit, propter hoc potissimum, quia scilicet doctrina Iesu Christi, quæ verissima est, eam pro vera etiam agnoscat & approbet, ita ut, quemadmodum Luna splendorem a sole: sic lex ab Evangelio Christi auctoritatem suam accipiat. Quid enim? Credimusne Apostolos primis docuisse principaliter veritatem Evangelii ex lege Mosis, vel scriptis Prophetarum? Certè apud ipsos etiam Iudeos primùm parum conveniens fuisse videtur, id, quod præstantius est, pendere ab auctoritate vilioris. Apostoli vero certè præstantius esse Evangelium & novum fædus esse affirmabant, quām fuisset lex & vetus fædus. Deinde,

2.Petri. 1.19.

2.Cor.3.13.

2.Cor.4.2.

2.Cor.3.18.

A Christi doctrina pendet auctoritas legis.

quomodo id efficere Apostoli, quod volebant, potuissent? Si quidem certum est, pleraq; eorum, quæ, ad demonstrandam Christi & ejus doctrinæ præstantiam ac veritatem, ex lege & Prophetis afferri possunt, tunc demum ad rem facere, si mysticus in eis sensus consideretur. Alioquin parum profutura κατὰ τὸ φῦλον accepta. Sensum vero istum mysticum, an credibile est admissurum fuisse judæum, nisi aliis rationibus & argumentis, vietus primùm & constrictus fuisse? Apud Ethnicos vero oleum & operam Apostoli perdidissent, si Christi doctrinæ veritatem, autoritate Mosis & Prophetarum demonstrare potissimum voluissent. Hoc enim fuisse incerta per incerta, vel potius incerta per incertiora probare. Tam enim constabat Ethnico homini de lege Mosis & Prophetis, quam de Iesu: & de illis multò minus, quam de hoc. Fama enim Domini Iesu in mundo conversantis, mortui, & resuscitati, & recens & notissima erat: Mosis vero apud plerosq; ne mentio quidem unquam facta fuerat. Semper autem id, quod alicui rei autoritatem conciliare debet, certius esse necesse est, eo, cui eam conciliare debet.

Non negamus adhibita etiam fuisse, ab Apostolis & aliis ipsorum cooperariis, ad demonstrandam veritatem Evangelii, testimonia sacra rum literarum veteris Fæderis. Scimus enim de tota hac re non pauca talia extare, eaq; luculentissima in veteri fædere: Sed id secundariò factum esse statuimus, (& nemini, qui rem penitus inspicit, improbatum idiri credimus) cùm scilicet jam fundamenta jacta essent certitudinis doctrinæ Evangelicæ, quæ omnino aliundè pendebat, quam ex autoritate veteris Fæderis, de quo postea dicemus; idq; apud omnes, quibus jam commendata erat Christi doctrina, maximè vero apud judæos, maximi momenti fuisse, planè verisimile est. *Quis enim non miraretur eam doctrinam, quæ præter eam, quam in seipsa habet, certitudinem, ante tot etiam secula, a tam divinis viris denunciata fuerat?* Sed hac de re plura differendi nunc non est occasio. Hoc ideo tantum adduximus, ut, quanta sit veritas verissimæ Christi doctrinæ, vel cæcus videre possit. Prodeat hodie aliquis, licet ipso diabolo astutior, & ostendat, quid jure in religione a Iesu promulgata desideret, sive is sit ethnicus, sive judæus, sive deniq; atheus: protinus apparebit, eum, nendum expugnare hanc hujus sacrosanctæ religionis arcem possit, sed ne oppugnare ita posse, ut non ridendum se & conspucendum omnibus propinet. Videat, qui velit, quid scriferint aliqui judæorum celeberrimi, quo aliquem errorem in Christi religione ostendere conati sunt; & cognoscet, quam sint infirma omnia & puerilia, ita ut omnia illa magno animo contemnere possit homo Christianus, fretus cause suæ nimia bonitate. *Quod si quis*

**Christi doctrina  
a nemine impun-  
guari jure potest.**

Si quis legat, virorum de Ecclesia Christi benè meritorum, ad eadem responsiones, multò apertius id ita se habere, ut dicimus, deprehendet. Et tamen pleriq; eorum, qui hodie cum iudeis rem in negocio religionis habent, non tam nervosè eis respondent, quemadmodum par erat: quia scilicet multa iudeis negant, quæ concedenda erant: & rursus ea concedunt, quæ neganda erant. Hinc fit, ut sola causæ bonitas eos juvet, & viatores efficiat. Si verò continget ad istas iudæorum nugas eum respondere, cui penitiora religionis Christianæ mysteria cognita sunt, & quantò excellentius divinitas ejus appareret, quæ nunc obscura quodammodo latet. Et, ut verum fateamur, vix videntur argumentorum viribus superare, nostri Doctores Christiani istos perspicaces iudeos: sed vel autoritate eos premunt; vel, ut diximus, causam tam bonam tuentur, quæ perdi aut prodi non potest. Non potest quidem hodie afferre aliquid iudeus, quo religionem Christianam erroris convincat: sed vicissim pauci haec tenus fuere, qui iudeos ita erroris convincere potuerint, ut, quod opponerent, non haberent. Quod tamen fieri posse, planè est verisimile, imò verissimum.

Mentionem autem nominativum fecimus iudæorum, quia certum est, si iudei nihil afferre possint ad reprehendendam Christi religionem, neminem alium aliquid ad id demonstrandum allaturum esse, vel afferre posse. Quid enim sunt omnes aliae doctrinæ, respectu doctrinæ legis, quæ solum Deum autorem habuit? Qui enim extra Iudeos aliquid in hac re conari vellent, illi summam suam stupiditatem proderent: interim verò operam suam egregiè (aliud agentes) collocarent, effecturi scilicet, ut nitor & splendor religionis hujusmodi evidentius clucescat.

Quicquid enim istiusmodi, sive naturâ sive affectu atque afferre possint, id totum ex ratione pendere necesse est, si quidem sacras literas non recipiant. Quia verò ratio humana, contra ea, quæ summa cum ratione a Christo nobis revelata sunt, aliquid valere; vel potius, quid ratio in eo, quod rationem omnem superat, & secundum quod omnem rationem conformare necesse est, valere potest? Annón est ipsissima ratio doctrina Iesu Christi? Annon cultus, quem Christus docuit λογισμός appellatur, respectu potissime partis cultus legalis, qui δόγματα tātūm continebat? Quòd scilicet hic a sola legislatoris voluntate, quantumvis repugnante in multis ratione, penderet: ille verò totus rationi rectæ & sobriæ consentaneus sit? Annón Christi doctrina talis est, quam homo animalis, id est, qui præter ea, quæ hominem naturalem constituant, nihil habet, non percipit, sed Spiritus sancti revelatione ad eam cognoscendam opus fuit?

Dicam autem unum adhuc , ex quo summa divinitas & perfectio Christi doctrinæ ad oculum apparere potest: Quod scilicet omnes illi, quicunque eam erroris alicuius insimulare ausi sunt, nunquam errorrem aliquem in ipsa Christi doctrina ostendere conantur : ( hoc enim nec per speciem unquam fieri potest,) sed in aliis quibusdam leviusculis rerum descriptarum circumstantiis , vel allegationum locorum veteris fæderis ( ut ipsis videtur ) inconvenientiis exagitandis sese mace-  
rant. Quæ omnia licet ita se haberent , ut explicari a professoribus Christi non possent: tamen talia sunt, ut neminem cordatum a retinen-  
da doctrina illius deterrere possint; quin potius istius, qui ea urget, sum-  
mam imprudentiam & improbitatem arguunt. Homo enim prudens & probus, rerum, quæ sibi credenda proponuntur, corpus integrum & partes earum essentiales considerat; & si hæc inter se convenient, satis habet ad fidem eis adhibendam, minutissima verò suo loco relinquit: Athomo imprudens & improbus, minutissima quæque arripit; & pro-  
pter eorum aliquam, quam præ se ferunt, erroris speciem , de capitali-  
bus etiam articulis dubitat. Quod tamen non eò dictum esse volumus,  
quod credamus, aliquid unquam afferri posse, quod religionem no-  
stram sanctissimam, erroris ullius vel minimi, in re necessaria, convincere possit. Credimus enim & persuasi sumus, facillimè ista omnia,  
quæ ab hominibus istiusmodi curiosis in hac re objici possint, a viris  
rerum & literarum sacrarum non imperitis, dilui posse. Quanquam  
opera ista nimis laboriosa , parùm utilis & certè non necessaria foret.  
Satis enim est ad perspiciendam Christi doctrinæ veritatem, constare,  
ea , quæ Iesus Christus docuit, ad cognitionem Dei & sui ipsius perti-  
nentia, & ad veram pietatem spectantia, esse verissima. Quod quidem ita certum est, ut audacter dicere non vereamur, nihil neque ab  
homine, neque ab angelo dici posse, quod ea nedum evertere, sed ne  
labefactare quidem possit. Sed & de his nunc plura dicendi locus non  
est. Solus igitur, dicimus denuo, Iesus Christus, omnis erroris & pecca-  
ti expers fuit, quod neque ulli hominum neque etiam Angelorum tri-  
bui potuit, aut potest. Dei proprium est non errare, non peccare. Di-  
vinum igitur eum esse necesse est , cui ista divina contigit proprietas.  
Quæ quidem in Christo tanta fuit, ut de eo jure dici possit, eum non  
tantum non peccasse: verum etiam peccare non potuisse, non tantum  
eo modo , quo legimus de omnibus iis, qui in Christum credunt, eos  
non peccare, vel peccare non posse: sed alio multò excellentiori. Iam  
enim ante diximus, Maximam hanc efficiens Iohannis : Si dixerimus,  
quod peccatum non habemus, vel non peccavimus, mentimur, &c. Maxi-  
ma autem

Sanctitas Christi  
qualis & quanta.

Ioh. 3.9.

Ioh. 1. 8, 10.

ma autem non minus haec est: *Christus peccatum non fecit: In Christi ore dolus non est inventus.* Ista igitur, quae modo quodam loquendi de fidelibus pronunciantur, propriè de Iesu Christo dici credimus. Certum enim procul dubio est, de fidelibus Christi ideo dici, quod non peccant, quia scilicet peccandi habitum non contrahant, hoc enim est peccare: De Christo verò statuendum est, eum ne unum quidem peccati actum unquam commisisse. Rursus de fidelibus Christi dicitur, eos peccare non posse, quia scilicet sit contra naturam eorum id facere, quia a peccatis abhorreant, & odio habeant injustitiam. quomodo dicebat Petrus & Iohannes: *Nos non possumus reticere ea, quae audivimus, et vidimus.* quomodo Paulus de se dicit: *Ego nihil possum adversus veritatem, sed pro veritate,* ut scilicet significetur privatio non facultatis, sed voluntatis faciendi ea, de quibus ibi sermo est: At de Iesu Christo statuendum est, eum ita peccare non potuisse, ut fieri nullo modo (Deo sic volente, & rem istam moderante) potuerit, ut in levissimum aliquid peccatum incideret. Præterquam enim, quod Spiritu sancto absq; omni mensura prædictus fuit, cuius virtus nihil non potest, Deus etiam perpetuò Iesu Christo præstò fuit, & eum ita gubernavit, ut auxilium suum eiunquam negaret, ne scilicet vel tantillum committeret, & ita committere posset, quod peccati loco haberetur, adeò ut regeneratio, per quam omnes alii homines filii Dei evadunt, in Christo nullum locum habuerit. *Quod sancte quoties apud animum meum considero, ita me percellit, & tantam Iesu Christi divinitatem testatur, ut, quemadmodum nobis per omnia similis, quoad naturam fuit: sic Deo per omnia similis, quoad qualitates & proprietates, fuisse, jure dici possit.* Hūc respexisse nos quidem credimus D. Iohannem, cùm demonstratus, Iesum esse Christum, ait, eum venisse in aqua, hoc est, cum aqua. Aqua autem eo in loco procul dubio intelligitur, non materialis: sed per aquæ vocabulum notatur (ut & alibi in S. literis) puritas illa summa, quæ tam in doctrina, quam in vita Iesu Christi apparuit, cuius etiam quedam scintillæ in omnibus ejus discipulis tunc temporis apparent, & in omnibus hodie apparent, qui Christi sunt participes. Ob quam causam D. Iohannes ibidem ait, eam testari, de re scilicet tunc præsenti, & adhuc durante se loqui, innuens.

*1. Petr. 2. 22.**Act. 4. 20.**2. Cor. 13. 6.**1. Ioh. 5. 6.**Eph. 5. 26.  
Heb. 10. 22.*

## C A P. X.

*De miraculis Iesu Christi.*

**V** Idimus hactenus Iesu Christi præstantiam & divinitatem ex eo,  
G quod

quod summa in eo & doctrina ejus puritas apparuērit: Videamus cādem in miraculis, quae ad confirmationem doctrinæ illius facta sunt. Hæc autem dupli modo, nempe vel tanquam ab ipso Christo, vel tanquam a Deo, Christi tamen causâ facta, considerari possunt.

Quod ad ea miracula, quæ tanquam ab ipso Christo facta, considerari possunt, attinet, tanta & tam divina Christi in eis, dum adhuc mortal is esset, potentia apparuit, ut nihil fuerit eorum, quæ in terra sunt, ne homines, nec ipsi etiam dæmones, quod ipsi subjectum non esset.

Vbi, priusquam aliud dicamus, hoc unum divinitatis miraculorum Iesu Christi indicium observandum est: Christi miracula omnia, non tantum ita comparata fuisse, ut animos hominum perstringerent, & in admirationem sui raperent; cæteroquin nihil eis commodi afferrent, qualia sunt plœrunq; ea, quæ Diaboli operâ sunt: sed, ut appareret ea esse verè divina, ita erant miraculosa, ut singula pro beneficiis singularris haberi possent. Hinc D. Petrus etiam ait, Iesum Nazarenum pertulisse, beneficentem & sanantem omnes oppressos a Diabolo. Nunc quanta fuerit Christi potentia, deinceps consideremus.

Primum, morbos omnes quantumvis incurabiles sanavit, adeò, ut etiam mortuos resuscitaret, & a diabolo oppressos, ejēctis ex illis eo, liberaret, atq; ita verè ostenderet, se (verba sunt ipsius D. Iesu) potestatem habere, peccata remittendi in terris, hoc est, temporales peccatorum pœnas omnes auferendi. Quis verò est, cui omnes morbi & mors & diaboli cedant, præter Deum, presertim, cùm, ut est in Sacris literis, diabolus, princeps & Deus sit mundi.

Deinde non unius, sed omnis generis miracula D. Iesus fecit, qua de causa etiam tot vocibus, virtutum, signorum, prodigiorum, exprimuntur: imò inter miracula Iesu Christi, & confirmationes Evangelii, numerantur etiam Spiritus S. distributiones, ut scilicet vera divinitas ex illis Iesu Christi appareat, qui & omnis generis miracula fecerit, & ipsa etiam dona Spiritualia, loco miraculorum, aliis, aliquo modo, dum mortal is esset: deinde perfectè, cum ex mortuis resuscitatus esset, donaverit, quod nemo, etiam si miracula facere fortasse, Deo permittente, posset, nisi Deus, aut ab eo missus, potest.

Tum sanavit Christus omnes morbos, mortem abstulit, diabolos ejecit sola plœrunq; voluntate. Dei est proprium, quod Moses testatur & David: *Ipsæ dixit, & facta sunt: ipse præcepit, & extiterunt.* Instar hujus Dei, Christus etiam, quodcunq; voluit, effecit: *Volo, ajebat, esto mundus, & iam erat. Prodi lazare; Exi impure spiritus, præcipiebat, & protinus ita factum est.* Quam tantam potentiam agnoverit in Christo Cen-

Divinitas mira-  
eulorum Christi.

Christi miracula  
erant beneficia.

Aet. 10. 39.

Christus omnes  
morbos sanare  
potuit.

Matth. 9. 6.  
Mar. 2. 10.

Ioh. 12. 31.  
x Cor. 4. 4.

Christus omnis  
generis miracula  
fecit.

Aet. 2. 22.  
Heb. 2. 4.

Christus miracu-  
la fecit sola vo-  
luntate.

Gen. 1. 2.  
Psal. 33. 6. 9.  
Matth. 8. 3.  
Ioh. 11. 43.  
Mar. 9. 25.

turio ille, cum dicere: *Domine non sum dignus, ut intres sub teclum meum, sed tantum dic verbum, (vel verbo,) & sanabitur puer meus,* cuius etiam fide maiorem se in Israële invenisse Dominus Iesus negat. Quod verò interdum quibusdam quasi ceremoniis usus, in curandis morbis, fuisse legitur, id propter alias causas omnino factum est, quām ut in illis aliqua vis adjuvans inesset, quæ causæ etiam ut plurimum incognitæ nobis esse possunt: *Quanquam nonnunquam satis apparet, cur iis D. Iesus usus fuerit.* Cibos præterea ita multiplicavit & auxit, ut qui natura liter vix paucis aliquot sufficerent, multis millibus sufficerent; & plūs reliquiarum ex illis colligeretur, quām ipsi cibi comminuti efficerre potuissent. Rebus deniq; inanimatis & ratione parentibus, qualia sunt venti & mare, minatus est, & silentium imposuit. *Qualem verò, & quantum eum necesse est, (dicimus cum Christi discipulis) cui mare & ventus obediunt?*

Præterea (quod huc omnino pertinet) Christus instar Dei, omnia, quæcunq; ad munus ipsius & salutem humani generis quoquo modo pertinebant, scire potuit, ut ne abditissimi humani cordis sensus eum laterent. *Quod sancte ita Dei proprium est, ut nemo, nedum hominum, sed ne Angelorum tam bonorum, quām malorum exactè scire possit, quid unus homo cum animo suo cogitet.* Solus Deus est, qui hoc scit: & post eum solus Iesus Christus, cui tantam Deus sapientiam concessit, tunc etiam, cum adhuc mortalis esset, ut, teste Iohanne, omnes nosset, nec opus haberet, ut quis de homine testaretur, ipse enim sciebat, quid esset in homine. Hac divina sapientia D. Iesus Nathanaëlem vidit sub sicu sedentem: hac Sathanam sicut fulgur de caelo cadentem: hac cogitationes simulatorum insperxit, & acerrimè reprehendit: hac cogitationes etiam suorum discipulorum respondendo quandoq; antevertit. *Quam tantam tam divinam sapientiam procul dubio in Christo inesse, Deus tunc etiam voluit, partim, ut hac etiam ratione munus ipsius commendatissimum esset, & homines eo, ad Christo & fidendum, & debito eum honore colendum, permoverentur.* nam si quid unquam est, quod nos verè religiosos facere possit, hoc est, quod scimus, Iesum Christum, nos & omnia nostra cogitata perspectissima habere: partim etiam, ut hominum malevolorum insidias effugere posset, ne scilicet prius ab eis caperetur, vel aliquo damno afficeretur, quām ipsius Dei voluntas intercederet. Nec enim hominum solā malitiā, sed potius Dei consilio & voluntate, afflictiones & mors Christi acciderunt. Nec quicquam huic obstaredebet, quod de semetipso Dominus dixit, se, cum hīc in terris esset, ignorasse diem judicii. Illud enim non erat tunc ex iis re-

Matth. 8. 8.

Matth. 14. 16.

Matth. 8. 27.

Christus animos  
& corda hominū  
novit.

Ioh. 2. 24, 25.

Ioh. 1. 48.

Luc. 10. 18.

Matth. 9. 4.

Ioh. 16. 19.

Ioh. 2. 24.

Solutio objecti-  
onis.

Matth. 13. 32.

bus, quæ ad proprietatem muneris illius Prophetici, quod tunc administrabat, pertinerent: sed totum hoc pertinet ad istud munus Iesu Christi, cuius vi factus est judex vivorum & mortuorum, nempe regium, & sacerdotale, quod simul ac consecutus est, statuendum est, eum illud etiam cognitum habere, cum penes eum absoluta sit judicij exequendi potestas.

**Christus potestatem miracula faciens in se habitantem habuit.**

Sed & hoc addendum omnino est, quod Iesu Christi divinitatem in hac parte omnium ferè maximè arguit: Quod Iesus Christus, non ut alii ante vel post eum, hanc tantam potestatem ita possedit, ut illa ab eo abesse potuerit, tanquam accidens vagum; vel quod opus habuerit, ut alii omnes, quicunque miracula unquam fecerunt, istam potestatem precibus a Deo impetrare, & eandem perpetuo studio conservare: sed, ut verus verorum bonorum Dei possessio, ita eam secum communicatam habuit, ut ipsius propria effecta fuerit, & in eo perpetuò habitarit, adeò ut Iesus Christus nunquam absque ea fuerit, sed semper eam circumtulerit; nec tunc etiam eā caruerit, cum formâ servi sum. tâ, scipsum ligandum, contundendum, conspuendum & crucifigendum tradidit. Cujus rei argumentum esse potest id, quod, cum jam jam D. Iesum capturi adessent armati hostes, unica Christi interrogatione ita fuerunt perterrefacti, ut retrogressi in terram prociderent.

**Christus potestatem miracula faciens in aliis impetrari potuit.**

*Math. 10. 1.  
Luc. 10. 1, 9.  
17. 19.*

Deniq; Iesus Christus non tantum potestatem habuit in seipso habitantem miracula omnia faciendi: verum etiam eandem cum aliis communicare, tunc etiam, cum adhuc mortalis esset, potuit, quod nemini Prophetarum vel Apostolorum unquam contigit. Manifestè enim legitur, Iesum Apostolis illis duodecim, & aliis 70. discipulis dedisse potestatem in omnes morbos, & ipsos etiam dæmones: & competentum est, Apostolos & illos 70. discipulos, reipsâ multa miranda patrassse in nomine Iesu Christi, adeò, ut cum gaudio ad Dominum reverfi, id ei significârint, quod etiam Spiritus immundi eis sint obedientes: & Christus ipse etiam assentiens eis dixerit, se vidisse satanam cadentem, hoc est, cedentem ex hominibus ad præceptum & iussum Apostolorum, non secus ac fulgur de cælo cadere solet, hoc est, magno cum impetu & festinatione, nihil de trecentem vel repugnantem.

**Solutio objectionis.**

Itaque nihil faciunt, qui, ad elevandam Christi miraculorum præstantiam, dicunt, Prophetas etiam & Apostolos miracula fecisse: & ramen hinc non concludi, eos esse nostros Servatores. Ut ut enim alii etiam ante Dominum Iesum viri sancti miracula fecerint: ramen istud totum superant Iesu Christi miracula, tam quantitate, quam qualitate. Tanta enim fuit multitudo miraculorum Christi, ut unus Dominus Iesus

Iesus plura fecerit, quām omnes Prophetæ. Quām multitudinem volens D. Iohannes exprimere, hac hyperbolica locutione uti non dubitavit, quōd, si omnia singillatim scribenda fuissent, mundus ipsum librum scriptum non comprehenderet. Tanta rursus eorundem fuit sublimitas & singularitas, ut vix aliquid cum illis, quæ Prophetæ olim ediderunt, commune habuerint. Hinc Christus hanc sublimitatem & singularitatem descripturus, ait, se ea opera fecisse, quæ nemo ante se fecerit. Quod verò Apostoli leguntur miracula fecisse & Christi miraculis paria, vel etiam, teste ipso Christo, maiora, hoc ipsum ad nullius aliū præstantiam & divinitatem, quām solius Iesu Christi demonstrandam pertinet. Quicquid enim Apostoli fecerit, id totum non illis, nec pietati illorum, sed soli Iesu Christo & potentiae ejus divinæ ascribendum esse, plurima testantur sacrarum literarum apertissima testimonia: *Quid miramini, (inquit D. Petrus) in hoc, & quid intuitemini nos, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus ambulare hunc. Deus Abraham, & Isaac, & Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit puerum suum Iesum, &c. Et in fide nominis ejus hunc, quem uidetis & nostis, confirmavit nomen ejus; & fides, quæ per eum, dedit ei integrum sanitatem illam in conspectu omnium vestrum.* Idem etiam D. Petrus, sanatus paralyticum Æneam, sic ait: *Ænea, sanat te Iesus Christus, ut scilicet appareat, totum illum sanationis & aliarum miraculofarum operacionum donum, a sola Christi potentia pependisse.* Quantum igitur Dominum ipsum esse oportuerit, si tanti fuēre ejus servi?

Horum autem Christi miraculorum tanta est divinitas, ut propter illa etiam (licet non sola) Christus in forma Dei & Deo æqualis fuisse dicatur, quam deinde formam depositum, dum ita se gessit, ac si eam omnino non habuisset unquam. Horum tanta virtus est, ut Christus ipse plus eis tribuerit, & alios etiam plus eis tribuere voluerit, quām suis dicit: *Si non facio (inquit) opera Patris mei, non credite mihi: Si autem facio, etiam si mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia in me Pater (est) & ego in eo.* Nec enim ita poterat Christus sanctitatem vitæ suæ prædicare, ut miracula; cum illa soli Deo nota sit, ut pote, quæ in corde lateat; & nimis etiam eam jactare coram hominibus vitio non careat: At opera miraculosa ita comparata erant, ut in omnium oculos incurrerent, & suspecta esse nullo modo possent. Nam in rebus naturæ limites superantibz exercebantur: & in publicis pleraq; locis siebant, ubi omnium censuris exposita erant; et si quæ privatim cedebantur, ea Christus plerunq; divulgare vetuit, ne scilicet ulla fraudis suspicio subesse crederetur. Hinc etiam Christus opera sua miracu-

Ioh. 21. 25.

Ioh. 15. 24.

Ioh. 14. 12.

Act. 3, 12, 13, 16.

Act. 9. 34.

Autoritas miraculorum Christi.  
Phil. 2. 6.

Joh. 10. 38.

Ioh. 5. 30.

Mat. 11. 4.

x. Ioh. 5. 6.

Marth. 12. 31.

Mar. 3. 29. 10.

**Cur tot miracula  
Christi in Evan-  
gelio descripta.**

**Calumniarum  
Iudaicarum de  
miraculis Chri-  
sti refutatio.**

Iosa, quæ Pater ei dederat, ut ea faceret, majus testimonium appellat illo, quod Iohannes Baptista de eo ediderat: & propterea etiam credibile est, Dominum Iesum Iohanni Baptistæ, qui, cùm ipsi non liceret captivo, per suos nuncios testimonium de Christo coram populo perhibebat, quòd scilicet esset is, qui venturus erat, nec expectandum esse aliud, ita respondisse: *Euntes renunciate Iohannie ea, quæ videtis, & audiatis, cæci vident, claudi ambulant &c.* ut scilicet, tacitè approbata Iohannis Baptistæ fidelitate, indicaret, se aliud habere testimonium, quo doctrina & munus suum nixura essent, & tunc nitebantur, nempe miracula sua, ideoq; non admodùm opus esse testimonio Iohannis Baptistæ, ubi ipsa res testabatur, se esse Christum illum, qui venturus erat. Hinc etiam D. Iohannes, cùm dixisset de Iesu Christo, quòd venerit cum aqua & sanguine, & Spiritum esse, qui testetur, (intelligēs virtutem illam divinam, quæ in Christo habitabat, miracula faciendi,) mox addit: *Quoniam ille Spiritus est veritas*, hoc est, quia ista virtus, infallibile veritatis (Iesum scilicet esse Christum) testimonium habendum est. Et paulò inferiùs, tria illa simul repetens, quæ de Iesu testantur, Spiritum, quem anteà ultimo loco posuerat, primo loco ponit, dum ait: *Et tres sunt, qui testantur in terra, spiritus, & aqua, & sanguis*, ut ita ostenderet, miraculorum Iesu Christi maximam vim fuisse in hac re, de qua sermo est. Hinc deniq; peccatum omnium maximum id esse Christus affirmavit, quod contra hanc tantam miraculorum suorum potestatem committebatur, dum scilicet id, quod virtute Dei fiebat, Diaboli operæ tribuebatur: & ei qui aduersus filium hominis peccaret, remissum iri, illi verò, qui adversus Spiritum sanctum blasphemaret, hoc est, ex Christi miraculis eum agnoscere nollet, quin imò ea contemneret, neq; in hoc, neq; in futuro seculo remissum iri, graviter simul & severè pronunciavit.

Et certè non sine magni momenti causa, tantum historiarum de miraculis Christi, scriptio Evangelii insertum est, ut ea, dimidiā ejus partem, si non amplius, constituant. Quæ nulla alia esse potest, quām quòd omnino hæc miracula, evidentissimum veræ divinitatis Iesu Christi, dum in terris degeret, erant indicium, quod omni exceptione majus erat, & olim Iudeos gravissimè premebat, & nunc etiam ita premit, ut, declinaturi hujus tantæ rei tantam vim & tantum robur, nescio quod diabolicum Schem hamphoras Rabini eorum commenti sint, & Iesum Christum Cabalistam quendam artificiosum fuisse, impudenter (ubi id eis licet) clamitent. Quo tamen tanquam sorores suo seipso strepitu produnt, si quis totum illud nugatorium commentum bene examinare norit. Concedunt enim (ut paucis cum eis congrē-

congrēdiamur) Iesum miracula fecisse virtute nominis divini: Sed ajunt eum illam, nescio quo modo malitioso, consecutum esse. O stupidi-  
tatem verè Iudaicam, in qua tām pertinaciter hærere, & eam pro-  
vera defendere nulla ratione possent, nisi divina eos ultio haec tenus perse-  
queretur, & in cæcitate invitatos detineret. Tanta est hujus rei ab omni  
ratione discrepantia. Itané Deus Israelis deridendus & exsibilandus a  
populo Israelitico exponetnr, cuius virtus possit ab homine seducto-  
re & sacrilego, modo nescio quo malitioso, acquiri? & non potius cer-  
tum erit, eum, qui divina virtute prædictus est, non posse eam habere,  
nisi ab ipso Deo? Divinæ enim potestatis & Dei nemo potens est, nec  
esse potest. Qui igitur divina virtute D. Iesum miracula fecisse con-  
fitetur, divinum eum hominem & verum Prophetam fuisse, quantum-  
vis postea neget, jam planè concessit, adeò, ut cum ratione insanire  
videantur Iudæi omnes, qui concedunt, D. Iesum miracula, omnem  
naturæ cursum excedentia, divina virtute fecisse: & interim negant,  
eum esse verum Messiam; vel potius insanire eos cum ratione voluit  
Deus, tūm ut pñna, quā premuntur, a Deo profecta esse appareat: tūm  
ut hac ratione, quia scilicet consitentur Iesum miracula divina virtute  
fecisse, si unquam Deus aditum ad se illis denuo præbuerit, ad eum addu-  
ci ab illis, quibus Christiana religio & mysteria illius cordi & cognita-  
sunt, possint. Super hoc enim fundamentum facilius aliquid superstrui  
potest, si Deus de ira sua remittat. Si verò hoc etiam negarent Iudæi, dif-  
ficilior omnino res esset persuadendi eis religionem Christianam.

Omnino statuendum est, eos in errore versari, qui credunt, a-  
lia ratione Iudæos ad Christum commodè & dexterè converti posse,  
nempe adductis testimoniiis S. literarum. Quòd enim ad novi Fæderis  
libros attinet, quia eorum nulla est apud Iudæos autoritas, quomodo  
illis, ad probandum rem controversam, uti poterimus? Quòd verò ad  
vetus Fædus attinet, etiamsi illud Iudæi recipiant; tamen, ut suprà di-  
ctum est, ad eos ad Christum convertendos, parùm id prodelfe potest,  
quia necesse sit, omniaferè, quæ ibi de Christo scripta esse credimus,  
alio sensu, quām verba præseferunt, nempe mystico, accipere, quem  
scilicet nobis Apostoli, quorum autoritas nobis Christianis aliunde  
commendata est, aperuerunt. Hunc verò sensum, quomodo, quæso,  
probabilem faciet homo Christianus homini Iudæo? Patieturne Iudæus,  
se doceri legis suæ verum sensum ab eo, cui lex ista tradita non fuit,  
& cui eam Deus non revelavit? Vnde videre est, aliam omnino viam  
esse querendam, cum isti hominibus agendi, si ad religionem Christianam  
eos convertere velimus. Ea autem nulla alia est, quām ut vera,

*Miracul.*

Error quorundam  
in modo conver-  
tendi Iudæos ad  
Christum.

Modus conver-  
tendi Iudæos ad  
Christum.

vera

vera, inquam, Christi divinitas, ut ex aliis rebus, ita etiam ex divinis ejus miraculis & operibus afferatur. Eam enim, quae haec tenus a Christianis asserta fuit, quod scilicet eum pro ipso Deo Israëlitico proclamârunt, plus Reipub. Christianę (quod ad conversionem Iudeorum attinet) obfuisse, quam profuisse, ipsa res satis superq; docuit. Paucissimi enim omnino sunt, (ne dicam nulli) qui vero religionis affectu moti, abjura- ta religione Iudaica ad Christianam transierint: & si tamen aliqui inveni- ni possunt, qui solo religionis affectu id fecerunt, id ipsum perfectissimæ divinitatis doctrinæ Iesu Christi evidentissimum documentum censendum est, quod licet nitore suo potissima ex parte careat: tamen ita illustrârit & perculerit animos istorum hominum, ut cum particula aliqua religionis Christianæ suam, quam ab ea superari conspexerunt, commutârint. Tanta scilicet est doctrinæ Christi vis, tanta mysteriorū ejus emphasis, ut etiam corruptissimalicet, & erroribus contaminatissima, præstantior tamen sit suo modo Iudaica religione. Quod si totus ille fulgor istius sacrosanctæ doctrinæ elucesceret, obone Deus, quanta cupiditas caperet homines Christianos eam fovendi & conservandi; Iudeos verò eam aliis invidendī, & eandem amplectendi? Quod tunc demum sperandum est, cum Christi divinitas vera illa rectius, & ab omnibus erroribus libera, tandem caput suum aureum ex tam densis humanorum commentorum nubibus exeret; & cum id, quod nostris de illa ejus divinitate cætibus Deus revelavit, a pluribus recipietur. Hæc, inquam, via est vera hominem Iudæum ad Christum convertendi.

Quid enim putas, repugnaretn Iudæus D. Iesu, si crederet eum ex mortuis resuscitatum, supra omnes cælos exaltatum, divinam potestatem habere? Non credo. Hoc verò probatum jam esse, si probetur, Iesum fuisse hominem reverâ divinum, nemo inficias ibit. Non possunt enim non esse vera, quæ homo verè divinus dicit. Dominum Iesum reverò hominem reverâ divinum fuisse, equidem crediderim ostendi posse, homini Iudeo non improbo, nec judicio carenti, hoc modo: Fatentur judæi, Deo scilicet sic providente, & rem religionis Christianæ miraculosè procurâte, (nam si id negarent, difficilior esset rei probatio) fatentur, inquam, Iesum Nazarenum olim extitisse: fatentur etiam eum doctrinam hominibus novam & singularem tradidisse: fatentur deniq;, eum ad istam doctrinam suam confirmandam miracula edidisse, quæ non nisi a divina virtute profici sci poterant, quanquam hic multa comminiscuntur, multa mentiuntur eorum Rabini. Hæc igitur sic constringendus est Iudæus, ut aut ea neget, quæ jam concessit, hæcverò negare nullo modo potest; imò, ut eaneget, Deus non permittit: aut concedat

Christianæ reli-  
gio corrupta,  
præstat Iudaicæ  
religioni incor-  
ruptæ.

cedat id, quod tantoper fugit, nempe Iesum fuisse divinum hominem. Ex quo deinde necessariò consequitur: quia is Iesus prædixit, se moriturum, & ex morte resuscitatuni iri, & deinde omnem potestatem in cælo & in terra consecuturum, id ita & non aliter se habere. Quanquam alia etiam ratione probari potest homini non improbo, Iesum ex mortuis resuscitatum esse, de quo infrà aliquid dicemus.

Et hunc cum homine Iudæo agendi modum (observatis iis, quæ superâ annotavimus, & paulò post annotabimus, ad ea, quæ ab illis objici solent, responderi posse) tam certum esse crediderim, ut etiam homini omnino at heo, & omni de religione dubitanti, modò sit sanæ & probæ mentis, nihil dubitem aliquo saltē modo persuaderi posse, non tantum religionem aliquam esse veram, sed etiam nullam esse veritatem quam Christianam: imò aut hanc solam esse veram, aut religionem nullam esse. Nam si fortasse is, qui atheus sit, neget Iesum unquam extitisse, is, si non improbus, saltē mentis parùm compos, censi debet, qui scilicet id neget, quod tot hominum Christianorum myriades a tot seculis, tam constanter confessi sunt, & etiam nūm consententur; & cujus causâ tot afflictiones, tot mortes, & olim perpesli sunt, & hodie patiuntur, vel saltē pati parati sunt, inter quos plurimos fuisse, & ingenio & judicio acutissimos, nemo est, qui dubitet: &, quod majus est, quod non negant illi ipsi, nempe Iudæi, quibus id ab initio hucusq; semper plurimū obfuit, & etiam nunc obest. Quod ipsum, si scilicet hoc Iudæi negarent, in hac re non parū esset ad fidem detrahendam religioni Christianę. Quanquam præterea non satis esset, simpliciter tantum aliquem omnia ista negare: sed neceſſe esset, sine negatione ista locum habere debeat, istiusmodi hominem rationes afferre validissimas, quare tam concordi, tam discordium alioquin, quod ad alia omnia attinet, hominum, hac in re consensu repugnet: Quemadmodum parū esset, si quis hodie neget, vera esse ea, quæ aliquis historicus prophanus scripsit, & ab omnibus ut vera sunt recepta, nisi etiam rationes adderet, quare id sibi negandum statueret. Sed non est nunc plura de his etiam dicendi locus. Satis est demonstrasse, quanto studio opprimere tantam Iesu Christi & muneris ejus divinitatem, quæ ex miraculis ejus appetet, gens infidelis Iudaica conata sit olim, & nunc etiam conetur.

Extat quidem in lege Mosis præceptum divinum, de vitando & occidendo etiam homine, qui populum Israelis a Deo abducere velit, licet miracula faciat, quod isti nequam homines, (quod eorum est implacabile adversus Iesum Christum odium) ad ipsum Iesum pertrahere

Modus persuadendi homini atheo Christianam religionem.

113-

Responsio ad objectionem Iudaeam.  
Dent. 13.1.

Christus nem  
nem a Deo ab  
duxit.

Ioh. 5. 19.

Ex 6. 38.

Ex 7. 16.

Ex 8. 28.

Ex 12. 49.

Ioh. 10. 36.

Ex 17. 21, 22.

Responsio ad ali  
am Iudeorum  
objectionem.

Quid sit homines  
a Deo abducere.

non erubescunt. Sed gravis ista calumnia gravi etiam responione digna esset, & fortasse pœna, si id lex Regia ejusdem, cui ita isti maledicunt, quæ est charitatis, permitteret. Dicimus igitur ementitum hoc esse, quod Dominus Iesus ullum hominem a Deo illo vero unquam abduxerit. Certum enim est, & id omnes sacrorum Evangeliorum paginæ comprobant, Iesum Christum omnia sua dicta & facta Deo Patri accepta retulisse, & se ab eo totum pendere, apertissimè docuisse, gloriamq; se non suam, sed Patris, qui eum miserat, querere, publicè prædicasse. Quid multa? Præcipuam suam Iesus Christus gloriam, cuius causâ omnia faciebat, in eo sitam esse constantissimè affirmavit, si cognoscatur, non quidem se esse illum unum Deum, qui est Pater, & qui Deus Israelitarum proprius erat: sed se esse ab illo Deo, nempe Patre suo & Deo Israelitarum, missum. Velle autem, ut homines agnoscant Iesum esse missum a Deo Israelitarum, planè contrarium est ejus, quod objetatur, Iesum Christum a vero Deo ad alienos Deos abduxisse populum.

Quod verò porrò, qui sagaciores sunt, instant, & dicunt, Iesum Christum satis id curasse, ut homines a Deo vero ad Deos alienos abduceret, eò, quod legem ab ipso Deo olim latam, bona ex parte abrogârit; & quasi Deus, qui olim colebatur, alius esset, ita omnia ad cultum ejus pertinentia innovârit, hoc totum nihil est. Suprà enim indicavimus, & nunc hic illud repetimus, de quo etiam fortasse infra paulò plura nobis dicenda erunt, cum de Christi regno sermonem inslituemus, falsum esse, Iesum Christum id curasse, ut vel una legis particula abrogaretur, quandiu in terris degebat, & Propheta erat. Lege enim sarta tecta relicta, ea tantum docuit, quæ fundamentum religionis novæ futura erant, abrogationem partis legis in aliud tempus differens, cum scilicet abundè manifestum futurum esset, eum esse Christum, hoc est, regem populi Dei peculiarem, penes quem, tanquam novum regem, futura sit potestas, populo suo novo novam legem sanciendi. Locus verò ille ex Deuteronomio adductus, tantum de Propheta loquitur, non autē etiam de Messia, qui plus quam Propheta futurus erat.

Quanquam præterea falsum omnino est, eum homines abducere a Deo, qui modum colendi Deum præscribit, alium ab eo, qui antea observatus fuerat. Is enim a Deo abducit, qui loco Dei docet alium colere, qui non sit Deus: At is, qui quædam, quæ ad cultum Dei pertinebant, tollit & mutat, præsertim ea, quæ ipsa ratio dictitat, ad veram Dei gloriam propriè pertinere non posse, qualia erant ceremonialia omnia; interim tamen modum præscribit, alium licet, colendi eundem Deum, qui antea colebatur, is cultum Deo non admit, nec ad alios Deos abducit: sed

cit: sed tantum, ut diximus, modum cultus mutat. Quod quidem extra omnem suspicionem esse, vel hoc unumquemque; cordatum docere potest: Quod omnia ea, quae cuncte in lege ad bonos mores pertinent, & proinde sunt gravissima, & difficillima, non tantum facta & illibata reliquit D. Iesus: verum etiam eadem plurimum auxit. Cur vero is, qui gravissima & difficillima retinet, leviora & faciliora non retineret, nisi causa subessest maximi ponderis, quae cum ad id faciendum compulisset? Facilius est Sabbatum observare, carnis vescitis abstinere, lotionibus feso lustrare, & similia alia sexcenta facere, quam Deum diligere ex toto corde, & tota anima, ex omnibus viribus, & cogitationibus; & proximum diligere ut semetipsum, praesertim eo modo, quo Evangelium illud utrumque præcipit: & tamen hoc Dominus Iesus præcipit, illud abrogat, ut scilicet constet, unicuique non oscitantur res divinas consideranti, causam istius abrogationis, non fuisse contemptum Dei aut cultus divini, sed ipsius Dei amorem, & cultus ejus instauracionem & perfectionem.

Sed tandem, ut os obturetur istis Iudaicis nugatoribus, quid est magis a vero dissentaneum, quam Iesum homines a Deo abduxisse, cum res ipsa docuerit, solum Iesum fuisse, qui tot infinitas extraneorum myriades, quae antea a Deo alienissimae erant, ad Deum adduxit, & quod maius est, effecit etiam, ut omnes cultores sui, legem illam Mosaicam, quatenus a ratione pendet & æterna est, multo religiosius observent, quam eam unquam observarunt Iudei. Quae res hodie Iudeos, si non essent ab ipso Deo excusat, & si paulo clarius luceret Evangelica veritas, jure in admirationem rapere posset. Nihil enim tale, ab eo tempore, quo illi populus Dei singularis esse cuperunt, nec viderunt unquam, nec audiverunt. Semper enim aliæ gentes hoc erant inferiores Iudeis, quod falsos Deos colerent, Iudei verum solum Deum: hodie vero Christiani, licet ex gentibus extraneis oriundi, nullum alium Deum colunt, quam Deum Israelitarum, eumque multo rectius, quam ipsi Iudei eum & olim coluerunt, & nunc colunt. Quod anemine sancte doceri potuerunt, nisi ab illo Servatore mundi vel Messia.

Itaque; ut hanc rem, quae admodum latè patet, contra hanc, sic concludimus: D. Iesus perambulavit Iudeam benefaciens: D. Iesus divina potestate miracula fecit, & maxima & plurima, eaque; sola plerunque; voluntate: D. Iesus divino modo potestatem miracula faciendi possedit, nec quenquam a Deo unquam abduxit: Ergo D. Iesus vere fuit divinus, & a Deo missus Messias, & singularis ejus fuit divinitas. Et haec tenus quidem de miraculis, quae in confirmationem divinæ voluntatis edita sunt.

Miracula a Deo  
Christi causâ  
facta.

Ioh. 12. 27, 28.

Aet. 9. 7.

Aet. 22. 9.

Mat. 3. 17.

Mat. 17. 1.

re, & quæ tanquam ab ipso Christo facta, consideravimus.

Miracula vero, quæ tanquam ab ipso Deo, Christo adhuc in terris degente, & nondum passo, facta, considerari possunt, sunt istæ voces, vel apparitiones, quæ partim populo, partim vero aliis viris sanctis & ipsis etiam Apostolis contigerunt.

Quod ad primum attinet, exemplum habemus illustre Ioh: 12. ubi, cum Christus dolore mortis jam ingruente, sic Patrem suum alloquebatur: *Nunc anima mea turbata est, & quid dicam: Libera me Pater ex hora hac, sed propter hoc veni in horam hanc. Pater glorifica tuum nomen, testatur Apostolus, venit ergo vox de cœlo (huiusmodi) & glorificavi, & rerum glorificabo.* Hanc autem vocem in praesentia turbæ auditam fuisse, testantur verba mox sequentia. Sic enim ait D. Iohannes: *Ergo turba, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum: alii dicebant: Angelus ei locutus est. Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox facta est, sed propter vos, &c.* Quam vero miraculi plena res ista fuerit, testatur id, quod voluit quidem Deus sonum vocis a turba audiri: at verba eos intelligere noluit. Hoc rursus quantum faciat ad rei miraculosæ narrationem, ostendit etiam id, quod D. Paulus de sua narrat ad D. Iesum conversione, quod scilicet comites itineris, vocem, hoc est, sonum vocis audiverint, nec tamen vocem illam intellexerint. Quia de causa, Apostolus eandem historiam conversionis suæ repetens, ait, quod comites sui vocem ipsam loquentis non audierint, digni scilicet, qui sono verborum, quæ alius, nempe Paulus, intelligebat, perterrerentur: indigni vero, qui eadem intelligerent. Et hujusmodi miracula plura accidere potuisse, nihil prohibet, ex quibus, quam charus Deo & quam divinus fuerit Iesus Christus, omnes pii & cordati perspicere possunt.

Quod ad alterum attinet, annumerari hic primum potest illud, quod Deus de cœlo testatus est, cum Dominus Iesus in Iordan baptizaretur: *Hic est filius meus ille dilectus, in quo complacui.* Licet enim hoc, ut suprà diximus, solitus Iohannis Baptiste causâ factum fuisse videatur: verisimile tamen est, istud tam miraculosum opus postea aliis etiam fuisse revelatum. Quo, si qua alia re, omnes illi, ad quorum id noticiam pervenit, maximè permoveri potuerunt ad fidem Christo habendam; & ita per id demonstratum fuit, Dominum Iesum fuisse reum divinum hominem.

Deinde illustrissimum planè exemplum est illud, quod Petro, Iohanni, & Iacobo, contigit, quod etiam multorum miraculorum loco esse potest. Primum enim in monte sacro Iesum Christum, inter orandum, ita

trans-

transfiguratum viderunt, & adeò gloriosum, ut facies ejus resplenderet instar solis, & vestes ejus candidæ fierent ut lux, vel nix, &c, ut D. Marcus addit, qualia fullo super terram non potest alba facere. Deinde Mosen & Eliam, qui cum Christo colloquebantur, & exitum ejus, quem completeretur esset Hierosolymis, exponebant vel Apostolis, vel saltem Apostolorum causâ, ibidem in gloria conspexerunt. Tum nubem etiam, quâ Christus unâ cum Mose & Elia circumdatus & obumbratus fuit, viderunt. Denique vocem illam de nube magnifica auribus suis percepérunt: *Hic est filius meus ille dilectus, in quo complacui, hunc audite.* Quæ res tota, quanti æstimanda sit, docent illa D. Petri verba, quæ de ea scripta reliquit, commendans præstantiam eorum, quæ docuerat: *Non enim (ait) sophistice compositas fabulas fecuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præstantiam: sed speculatores facti illius magnificentie.* Accepit enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce delata ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: *Hic est Filius meus ille dilectus, in quo mihi complacui, & hanc vocem nos audivimus de celo allatam, cum essemus cum ipso in monte sacro.* Speravit scilicet D. Petrus, hanc solam rem, quemadmodum apud se erat maximi momenti, apud alios etiam non minoris fore. Huc etiam referri possunt ista D. Iohannis verba, cùm ait: *Sermo ille caro fuit, & habitavit in nobis,* hoc est, conversatus est nobiscum Apostolis, (mutat enim personam, &c, ut antea de aliis in tertio locutus fuerat, sic nunc de seipso & aliis Apostolis in prima loquitur, confirmaturus scilicet omnia illa, quæ omnibus publicè innotuerant, suo & Apostolorum etiam testimonio) & *vidimus,* inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Quod proculdubio, de non paucis miraculis & aliis divinis operibus, quæ Christo in sola Apostolorum præsentia contigerant, intelligi potest: omnium autem maximè, ad illud miraculum, quod istis tribus Apostolis in monte sacro contigerat, referri debere videatur. Apertè enim prædixerat Christus, quosdam ex Apostolis priùs mortem non gustaturos, quâm viderent regnum Dei veniens in virtute, vel filium hominis venientem in regno suo. Hoc autem impletum fuit, cùm paucis diebus post in præsentia Petri, Iohannis, & Iacobi D. Iesus transfiguratus fuit. Quam rem Lucas describens, expressè ait, Petrum, & qui cum eo erant, gravatos somno, evigilantes, vidisse gloriam ejus. Voluit scilicet Deus his Apostolis præcipue Iesum Christum esse commendatum, qui præcones ejus & doctrinæ ejus primi futuri erant; ideoq; etiam singulari modo, eis, qualis & quantus esset Christus Iesus, innotescere. Vides igitur, quisquis es, quot & quanta fuerint ea mira-

Mar: 9. 2.

Luc: 9. 30. 31.

2. Petr. 1. 16.

17. 19.

Ioh. 1. 14.

Matth. 16. 28.

Mar. 9. 1.

Luc. 9. 27.

Luc. 9. 32.

cula, quæ facta fuere ad confirmationem divinæ, quam Dominus Iesus annunciat, voluntatis, ut scilicet hinc agnoscas, divinissimum fuisse Iesum, a quo, vel cuius causâ, ista omnia facta sint.

## C A P. XI.

## De Christi morte.

**A**Dhuc duo corum, quæ ad confirmationem divinæ voluntatis facta sunt, breviter consideravimus: Nunc ad tertium properamus, quod diximus esse Christi mortem.

Hic vero, licet ipsa mors Iesu Christi, & quæ eam antecesserunt, afflictiones, humilitatis potius & infirmitatis ejus fuerint indicia, immo ipsa infirmitas, (ob quam causam etiam illi, qui plū Christo tribuunt, quām sacræ literæ permittunt, totum hoc ad humiliationem Iesu Christi, & naturam ejus, quam vocant, humanam referunt, & eo ad ostendendum, Christum verè eā præditum fuisse, utuntur.) Sunt tamen in hoc ipso, quod infirmitatis Iesu Christi argumentum est, quādam, quæ præstantiam Iesu Christi & divinitatem ejus singularem demonstrant.

Primum enim, quis omnium unquam tot & tantas afflictiones, quis tam atrocem & truculentam mortem, tam absq; omniciupsua, tam patienter pertulit, atq; Dominus Iesus? Afflictiones Iesu Christi, quæ mortem ejus antecesserunt, tales & tantæ fuerunt, ut Spiritus S. perfectionem eorum expressurus, dicat, eum per omnia fratribus afflīlatum, & tentatum fuisse per omnia in similitudine (nostri). Quæ quidem omnia, ad ea tantum referri debent, in quibus tentari Christus potuit, & quidem ab ipso Deo. Certum enim est, Deum isto modo Christum tentasse, & Dei voluntate omnia passum esse Christum: quemadmodum etiam Deo curante tentatus ante a fuerat a Sathanā in deserto. Deus autem neminem propriè tentat ulla re, nisi afflictione, quā homines probare, & fidem eorum explorare & conspicuam reddere solet. Nam in aliis omnibus Christum fratribus esse dissimilem, haec tenus abundē a nobis probatum esse credimus, & deinde abundantius probatum iri speramus. Sic enim de Iesu Christo persuasi sumus, eum, quoad afflictiones fratribus similem: quoad alia vero omnia, similiorem Deo quā hominibus fecisse. Dicit autem Spiritus sanctus, Dominum Iesum per omnia fratribus similem fuisse, ut omnis generis afflictiones uno verbo comprehendat, nempe, & ea, quæ mortem antecesserunt, & ipsam etiam mortem. Quarum præterea afflictionum tanta

Quid sit divinitatis in Christi morte.

Gravitas afflictionum Christi, quæ mortem antecesserunt.

Heb. 2. 17.

Heb. 4. 15.

Matth. 4. 1.  
Luc. 4. 10.

tanta fuit vehementia, ut, antequam Dominus Iesus in manus peccatorum veniret, de seipso dixerit. *Anima mea tristis est usq; ad mortem, quorum verborum sensus est: tantum non morior præ mortalia & angore animi: Patrem vero suum ter repetitis verbis oraverit, ut calicem istum a se transferret.* Quæ quidem Christi ista petitio non ita accipienda est, quasi Patrem oraverit, ut non patiatur, se mori. Hoc enim de Christo dicere, planè absurdum est. Petiisset enim illud, quod optimè sciebat, dari sibi non posse. Nostræ enim salutis causâ in mundum venerat. Nostra vero salus Dei decreto ita ferente, perfici nec debuit, nec porrò potuit absq; Christi morte. Deinde sequeretur hinc, Christum aliquid Patrem suum orasse, in quo exauditus non sit. Hoc autem est contrarium ejus, quod Dominus ait, se semper a Patre exauditum fuisse. Certè autem Deus Christum a morte subeunda liberum non fecit: quin imò omnino voluit, ut eam perpetueretur. Itaq; vox ista *calicis* hoc in loco non ad ipsam mortem, vel illas afflictiones, quæ cum morte conjunctæ fuerunt, referenda est, sed ad eum angorem animi & corporis, quo Christus, priusquam caperetur, & variis cruciatibus exponeretur, afflatus fuit, & sine quo totum illud salutis nostræ negotium, per ipsam passionem & mortem Christi, perfici potuisse videbatur. *Quem angorem tantum fuisse ait D. Lucas, ut primùm Angelus de celo apparuerit, confortans eum.* Deinde sudor ejus fuit, sicut guttae sanguinis decidentis in terram, hoc est, tantus & tam crassus, quantæ & quam crassæ sunt guttae, non aquæ, quæ quia liquidior est, liquidiores etiam & minores sunt ejus guttae, sed sanguinis, dum is in terram decidit. *Quod utrumq; stupendum aliquid denotat in ista Christi afflictione.* A qua tamē Deus Christum liberum esse noluit, ut scilicet verè per omnia, quæcunq; in homines mortales Deo confidentes cadere possunt, adversa, similis eis esset, & verè misericors redderetur Pontifex, qui tentatis succurrere sciret.

Sed præterea cùm jam in manus impiorum delapsus esset, quid contumeliae, quid ignominiarum, quid ludibriorum, quid dolorum non pertulit? A doméstico suo proditus, a gentilibus suis captus fuit, ligatus fuit, tractus fuit modò ad hoc, modò ad illos: os & facies ejus sanctissima percussa & consputa: calumniis oppressus fuit, flagellis cæsus, coronâ spineâ caput cinctus, omnibus exutus & spoliatus, ad supplicium tractus, in crucem actus, inter medios latrones suspensus, conviciis denuò laceratus, doloribus acerbissimis adeò compunctus, ut ad Deum voce magnâ exclamârit: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Auctor vero Epistola ad Hebreos dicere ausus est, Christum

Matth. 26. 38.

Quid per calicem, quem Christus a se auferri petiit, intelligendum.

Ioh. 11. 42.

Lnc. 22, 43, 44.

Heb. 2. 18.

Atrocitas afflictionum Christi quæ mortem proximè antecedebant & comitabantur.

stum in diebus carnis suæ preces & supplicationes, ad eum, qui poterat illum servare a morte, cum clamore valido & lacrymis obstulisse. Quis fando narret tam horrenda supplicia, & tam atrocem mortem, quibus Dominus Iesus voluntate Dei expositus fuit? Nihil hoc horribilis Sol unquam vidit, qui etiam ad tantam hominum impietatem jubar suum abscondit, & lucem eis negavit. Omnia & singula durissima, truculentissima, horribilissima. Ab inimico prodi, ut non est mirum, ita nec adeò durum: at ab amico prodi, duplex malum, duplex dolor est. Maximus verò omnium dolor, ab eo prodi, quem quis beneficiis sibi devinxerat, & cuius quis præterea Dominus est. Capi a magistratu, ignominiosum est: at a militibus & fece vulgi, multò ignominiosius. Capi durum est: at multò durius vapulare & vulnerari. Vapulare & vulnerari durum est: at multò durius, ludibriis affici & conspui. Ludibriis affici & conspui durum est: at multò durius, innocens cùm sis, pejorem latrone & seditione haberi. Pejorem latrone & seditione haberi, durum est: at multò durius condemnari. Condemnari durum est: at multò durius, calumniis etiam opprimi. Calumniis opprimenti durum est: at durius, latronibus annumerari. Latronibus annumerari, durum est: at durius, in ipissimo agone neminem habere, qui sui misereatur, sed omnium insultus audire. Omnium insultus audire, durum est: at durius vitam perdere. Vitam perdere, durum est: sed eam unâ cum jactura famæ & bonorum perdere, multò durius. Vitam perdere cum jactura famæ & bonorum, durum est: at eam & exquisitissimo, & execrabilis mortis genere perdere, durius: imò durissimum est, ita ut nihil non sit afflictionum quod in Christi afflictionibus non appareat.

Hæc tamen omnia videamus, an aliquâ suâ culpâ passus sit Iesus. Passi sunt multi multa: sed plarique suorum malorum suêre fabri. Quos verò Deus probavit, licet & ipsi innocentes ea in re fuerint: tamen fieri potuit, ut Deus semper, quod in eis castigaret, haberet; & si tamen eos non castigavit, illud non idè factum est, quod Deus non haberit, quod in eis puniret, sed quod habere noluerit, & ipsos justificârit, hoc est, pro justis habuerit: At in Iesu Christo fecus se res habet. Nec enim quisquam haec tenus fuit eorum, qui Christi nomen profitentur, qui dubitet, an Iesus Christus omnis culpæ expers fuerit. Sanè literæ sacræ id abundè testantur, eum tentatum fuisse per omnia ad similitudinem (nostræ,) sine peccato, hoc est, innocentem; & suprà adduximus ea sacrarum literarum verba, quod peccatum non fecerit, & quod dolus in ore ejus non sit inventus. Talem autem Christum esse Deus

Christus innocentem passus & mortuus est.

Heb. 4. 15.

g. Petr. 2. 22.

se Deus voluit, ne nulla hominibus justa dubitatio oriri posset de salute illa, cuius Christus primus annunciator fuit.

Denique quām constanter ista omnia pertulerit Dominus Iesus, ex eo constat, quod testatur Prophetā Esaias: *ut ovis ad occisionem dūctus est, & sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperit os suum.* Vim illatam, cum maximē posset, minimē repulit; convitiis affectus non convitiatuſ est; patiens, non minatus est, tradidit autem (caſam ſuam) ei, qui iuſtē judicat; & tunc etiam, cum juſtissimum a Patre peteret, nempe ut calix iſte a ſe transiret, a quo etiam liberatus fuit: tamen ita ſe gefit, ut voluntatem ſuam Patris voluntati totam ſubjiceret: *Non mea (ajebat,) ſed tua voluntas fiat.* Sponte ſua, vel, ut ipſe Dominus loquitur, a ſeipſo, nemine cogente, animam ſuam poſuit, & ſemetipſum exinanivit, ſumtā formā servi, factus in ſimilitudine hominum, & ſpecie invenitus ut homo, (vulgaris ſcīlicet) humiliavit ſeipſum, factus obediens uſq; ad mortem, ad mortem uſq; crucis, nempe, iſtam omnium teterimam, & a Deo ipſo maledictam: pro hostiibus ſuis & interfeitoribus Deum oravit, & ſumma cum patientia & constantia, tandem, ſpiritu ſuo in manus Patris commēdato, exſpiravit. *Quæ omnia, ſumma, iſtis afflictionibus & morti, quam Dominus Iesuſ ſubiit, autoritatē conciliant, & ea ſingulare aliquid, imò divinum fuiffe indicant.* Deinde, ſi infipientur ea, quæ circa & poſt mortem Christi facta ſunt planè ſingularia & miraculosa, apparebit multò evidentius, divinum aliquid fuiffe iſtam tamē Christi afflictionem & mortem. Proditor ejus Iudas, faſſus peccatum, laqueo ſibi ipſi vitam finivit: uxori Pilati multa noctu acciderunt, nempe divinitus, ejus cauſā, quæ eam docuerunt, quōd nulla penes D. Iesum eſſet culpa: Sol præter morē ſuum per integras tres horas obſcuratus fuit: Christo mortuo, ſcissum eſt velum templi in duas partes a ſummo uſq; deorsum: terra mota eſt, ſcissa petræ, monumenta aperta, & multa corpora sanctorum refuſcitata, qui deinde, poſtquam Iesuſ ex mortuis resurrexit, in urbem sanctam intrarunt, & multis ſe exhibuerunt, & alia non pauca facta ſunt, ita ut compellerentur homines ad iſtas voces preferendas: *reverā hic homo erat Dei filius, vel justus, & percutientes pectora ſua, domum ab iſto ſpectaculo redirent.*

Sed si porrò conſideremus, quis finis, quiſve effectus ſit harum Christi afflictionum, hujus Christi mortis, planè obſtupescemus, & diuinissimum aliquid ea eſſe, ſponte noſtra conſitebimur.

Non negari igitur quidem potest, afflictiones & mortem Christi, adiutum fuiffe Iesu Christo, ad hanc, quam nunc habet gloriam. Sic enim Deus conſtituerat, & ſic fieri oportuit, ut Christus primū pateretur,

Christi in parti-  
endo constantia.  
*Eſa. 53. 7.*  
*A&T. 8. 32.*  
*1. Petr. 2. 23.*

*Matth. 26. 39.*  
*Luc. 22. 42.*

*Ioh. 10. 18.*  
*Phil. 2. 7, 8.*

*Luc. 23. 34.*

Quid circa & poſt  
mortem Christi  
acciderit.

*Matth. 27. 3.*  
*G. 19.*

*G. 45.*  
*G. 51.*

*G. 54.*  
*Luc. 23. 47, 48.*

Quis finis mortis  
Christi.

*1. Petr. 1. 11.  
Luc. 24. 26.*

*Rom. 6. 16.*

*Gen. 5. 24.  
2. Reg. 2. 11.*

*2. Thes. 4. 17.*

Christus homi-  
num causâ mor-  
tuus est.

*Col. 1. 18.*

*2. Cor. 15. 20.*

*3. Joh. 3. 16.*

*Col. 1. 24.*

De nemine alio  
propriè dicitur,  
cum pro aliquo  
mori præterquam  
de Christo.

deinde ad gloriam perveniret. Verba sunt D. Petri apertissima, quibus testatur, Prophetas, primum prædictisse afflictiones, deinde eas consecutas glorias: verba sunt etiam hæc ipsius Domini Iesu: *Ita oportuit Christum pati, & intrare in gloriam suam*, atq; ita, Dei voluntate sic urgente, Christus peccato (ut Apostolus loquitur) mortuus est, hoc est, ideo mortuus est, ut ab infirmitate & mortalitate, quâ utrâq; non secus, atq; si peccator esset, circundatus fuit, liberaretur, negari, inquam, hoc non potest: Sed tamen totum hoc non factum est principaliter Christi causâ, quasi respectu illius aliter fieri non potuerit. Licet enim Christus homo natus esset, ideoq; mortalis: (proprium enim hominis est mortalem esse) fieri tamen facile poterat, si Dei potentia & Christi innocentia consideretur, ut is nō moreretur. Quid enim? Nonne Deus Enochum & Eliam, licet homines fuerint mortales, vivos in cælum transstulit, nulla morte interveniente? Nonne omnes illi credentes, quos vivos Dominus Iesus in hoc mundo offendet in adventu suo, nulla vera morte interveniente, mutabuntur, & ripientur in aërem, ut occurrant Domino, licet nihilominus homines futuri sint, sicut alii omnes infideles? An fortasse dubitamus, potuisse Deum candem etiam in Christo exercere potentiam, quam in aliis ante eum exercuerat; & contingere id Christo potuisse, quod aliis contigit, & post eum continget? Certè tantum abest, ut hoc in mentem cuiquam venire debeat, ut potius statuendum sit, soli Domino Iesu hoc jure contingere debuisse præ omnibus aliis. Tantum scilicet differt Iesus, ab Enocho, Elia, & omnibus, qui in adventu ejus ex mortalibus in immortales commutabuntur, & dignitas ejus ab illorum dignitate, si modò aliqua illorum est, respectu dignitatis Christi. Alia verò causa fuit, cur propriè & principaliter Deus voluerit Iesum Christum mori, & primum omnium esse, qui ex mortuis resuscitatus, immortalis evaderet, & ita primogenitus ex mortuis, & primitiæ eorum, qui obdormierunt, esset. Nos, nos homines fuimus, quorum causâ Iesus omnia ista propriè & principaliter passus & tandem mortuus est. Hinc illa sacrarum literarum sunt oracula, quæ pro nobis Christum mortuum esse tam crebrò inculcant. Quis autem pro hominibus unquam passus, & mortuus est? Cujus mors unquam omnibus profuit? Quod enim de omnibus fidelibus legimus, eos teneri animas ponere pro fratribus, & quod D. Paulus de seipso ait, se adimplere ea, quæ defunct passionum Christi, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, id totum impropriè & minus nobili sensu de illis dicitur. Primum enim frater non ideo reverâ moritur, vel Paulus affligebatur, ut hic suis afflictionibus, ille morte sua aliqui beneficium det, aut daret, quamvis dum

vis dum prodeesse alteri curant, mortem & afflictionem incurvant, & pro nihilo ducant: Christus autem non modò, dum nobis bene facere studet, mortem subiit: verùm etiam in hunc ipsum finem sponte sua mortuus est, ut nos ea ratione maximis beneficiis afficeret. Deinde is verè & propriè pro aliquo mori videtur, qui morte sua illum in vita conservat: Athoc præter Christum, nemo unquam aut fecit, aut facere potest. Solus Christus, nos morte sua, ex æterna morte, eripuit, & in vitam æternam transfluit. Hinc Paulus ipse: *Nunquid (inquit) Paulus pro vobis crucifixus est?* Satis apertè indicans, neminem fuisse unquam, aut futurum esse, qui verè ac proprie pro hominibus mortuus sit, aut mori possit, præter unum Christum. Hic autem tota hæc res brevissimè explicanda est, quæ Christi mortem spectat, & fructum, quem ex ea habere potest totum humanum genus.

1. Cor. I. 18.

Certum est, salutem æternam, ante mundi conditionem paratam fuisse apud illum summum Deum, omnium rerum conditorem & gubernatorem, Patrem Domini nostri Iesu Christi. Ea ut nobis annunciatur, & confirmaretur, ideo D. Iesus in mundum missus fuit. At his peractis duo restabant. Primum, ut nos salutem illam amplectemur, hoc est, crederemus, ita rem se habere, quemadmodum Deus olim constituerat, & Christus Dei nomine prolixè promiserat. Alterum, ut eandem salutem tandem re ipsâ consequeremur, hoc est, ex morte resuscitati ad æternam vitam transferremur. Hæc duo, ut effici possent, ideo Christus mori non dubitavit, & sic verè nostri causâ mortuus est, siquidem morte ejus interveniente salutem æternam amplectendi occasionem, & tandem eam consequendi spem certam habemus, vel saltem habere possumus. Vtrumq; autem hoc, quomodo Christi morte interveniente peragatur, videamus.

Ad salutem æternam amplectendam, compellit primum salutis illius modo quodam certo confirmatio. *Quis enim rem desiderabilissimam, qualis est vita æterna, si certa sit, non libenter amplectetur?* At quis modus confirmationis certior esse potest, quām, si is, qui primus eam annunciārat, & aliis eam antea rationibus demonstrārat, mortem etiam truculentissimam sponte sua in hunc ipsum finem subeat, ut eandem confirmet? Hunc igitur confirmationis modum certum ut habemus, Christus mortuus est.

Ad salutem æternam amplectendam deinde hoc maximè compellit, si quodammodo ostendatur nobis ipsa promissa salus. Magis enim movent ostensa, quām promissa. At ipsa salus ostensa est quodammodo hominibus, dum Christus, autor fidei & dux salutis, ex morte re-

Expliatio my-  
sterii de morte  
Christi.

fuscitatus & deinde exaltatus fuit. Salus enim nostra in resurrectione ex mortuis & glorificatione sita est. Quia verò salus hæc nostra, hoc est, resurrectio, ostendi non poterat, nisi mors antevertisset, idèò ut nobis ea ostendi aliquo modo posset, sponte sua Christus mortuus est. Quis verò jam non crederet datū iri vitam æternam fidelibus, si quidem is, qui primus eam annunciat, mortem ideò oppetiit, ut id testatum faceret; & quod majus est, siquidem is, qui annunciat, reipsa eam consecutus est. Quām enim certum est, eum vitam æternam consecutum esse, qui eam nobis promiserat: tām certum esse debet, illos etiam eam consecuturos, quibus is eam promisit. Habent enim illi se ad in vicem, ut corpus & caput.

Ad salutem verò reipsa consequendam maximè opus est, ut ipse D. Iesus potestatem habeat nobis eam donandi. Quamvis enim dici possit, satis esse, si Deus sit, qui nobis salutem dare velit, ad id, ut eam reipsa consequamur: considerandum tamen est, nihil quidem interesse, a quo quis tandem salutem consequatur, modò eam consequatur: sed ad credendum, priusquam reipsa cuiquam detur ista salus, eam certissimè nobis datum iri, multùm interest, scire, a quo ea sit nobis expectanda, vel quis eum nobis daturus sit. Facilius enim homo mortalis credit datum sibi iri vitam æternam, si Iesu Christus, qui & ipse olim mortal is & mortuus, & dux fidei fuit, potestatem habeat eam dandi, quām si ipse Deus eam daturus sit. Novimus enim, quantum differat Dei altissimi natura a nostra; & ideò, quoties audimus, Deum esse qui nos tandem immortales efficere velit, licet id summoperè appetamus: tamen, nescio quo modo, non permittit nimia nostra humilitas & indignitas, ut id animo nostro persuaderi patiamur. Pudet nos scilicet ejus, quòd Deus, cuius maiestas immensa, cuius sanctitas ineffabilis est, nostri, qui pulvis sumus & terra, & qui peccatis nostris eum sèpissimè & gravissimè offendimus, tām liberaliter misereri, & tanta nos felicitate donare velit: At cùm audimus, Iesum Christum, quem non puduit nos fratres suos appellare; cum quo nos ita sumus uniti, ut simus caro ex carne ipsius, & os de ossibus ejus; qui nostri amore tanto-perè flagravit, ut mortem truculentissimam propter nos subire non detrectaverit; qui promisit se velle, ut ibi sint ejus servi, ubi nuncille est; se eos non relictum orphanos, se ad eos reversurum, se eos ex mortuis resuscitaturum, cùm hunc, inquam, audimus, nunc facultate & potentia etiam præditum esse, quemadmodum olim voluntatem habebat nos servandi, nescio quomodo patiamur nos tandem pertrahi ad credendum, hoc ita ac non aliter futurum. Quemadmodum olim fratres

fratres Iosephi, majori cum fiducia frumentum tempore famis obtinuerunt, quia scilicet toti ei rei præfectus erat frater eorum germanus, quām si rectā ipsis Pharao adeundus fuisset. Et certè omnium testimonio Iosephus figura erat Christi, de quo etiam infrā. Hanc igitur spem consequendi salutem aeternam ut habere possemus, ideo Christus mortuus est, & sic verissimè pro nobis, & nostri causā mortuus est.

Hic verò notandum est aliquid, quod in tota hac re maximi momenti est, nempe per quandam metonymiam tribui id sèpissimè causæ efficienti & antecedenti rei, quod effecto, sive consequenti rei tribuendum erat: hoc est, morti D. Iesu tribui id, quod eam consecutæ resurrectioni, & omnium maximè potestati ejus divinæ tribuendum erat. Quamvis enim ipsa etiam mors, ut jam ostendimus, & deinceps amplius ostendemus, vim habeat, eamque non vulgarem, in nobis excitandi cupiditatem & desiderium salutis, & spem consequendi illam: tamen multò plūs hac in re valet, ipsa Iesu Christi resurrectio & exaltatio, vel summa ejus potentia, quām ipsa mors. Quod ita se habere, hinc appareat, quod D. Apostolus differens de certitudine spei hominum Christianorum, ait: *Si inimici existentes, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus: multò magis reconciliati, servabimur in vita, (vel per vitam) ejus. & infrā iterum: Quis condemnnet (scilicet, electos Dei) Christus (est) qui est mortuus, magis verò quietiam resurrexit, qui etiam est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Mortiverò Christi sèpè id in Sacris literis tribui, quod morte tantum interveniente, eam consecutæ resurrectioni & potentie divinae Iesu Christi ascribendum erat, hoc in primis docendum & demonstrandum nobis est.

Primum igitur, est loc⁹ unus, qui hoc aperte affirmat, ad Heb. 9.: *Et propter hoc Testamēti novi mediator est, ut morte interveniente, in redemtionē earum, quæ sub prioritate testamēto erant, prævaricationum, promissionem accipiant vocati aeternæ hæreditatis.* unde quisvis videre potest, liberationem a peccatis, hoc est, reatu peccatorum, a quo liberari nemo in veteri fædere poterat, quæ nihil aliud est, quām consecutio aeternæ hæreditatis, contigisse hominibus non per ipsam quidem Christi mortem: (hæc enim nobis spem omnem istius felicitatis eripere potius potuisset) sed, ut ipse autor ait, morte interveniente, per ejusdem resurrectionem & exaltationem, vel divinam potestatem, quæ mortem cōsecuta est.

Deinde sunt loci, ex quibus idem firmiter colligi potest. Prior ideo, insignis locus est, ubi Dominus ipse sic ait: *Erego, si exaltatus fuero de terra, omnes ad me traham.* Trahi homines ad Christum, aliud nihil est, quām sufficientes eis causas dari, ad credendum in Christum, quæ eos

Quomodo mori.  
Christi salus no-  
stra tribuatur.

Rom. 5. 10.

c. 8. 34.

Morte Christi  
interveniente sa-  
lus nostra perfe-  
cta est, Christi  
potentia divinæ.

Heb. 9. 15.

1ob. 12. 32.

tantum non cogant quodammodo. Hoc Christus ait tunc futurum, postquam exaltatus de terra, hoc est, mortuus fuisset. Sic enim intelligenda esse haec verba Christi, sequentia Divi Iohannis indicant, dum ait: *Hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus.* Sed ipsa morte Christi, non sunt datae hominibus sufficientes causae credendi in Christum. Nam si Christus non resurrexit, ait Apostolus, *vana est fides nostra, & Petrus ait, per resurrectionem Iesu Christi regeneravit nos Deus ad spem vivam,* & iterum: *Deus Christum ex mortuis resuscitavit, & dedit ei gloriam, ut fides & spes nostra in Deo esset.* Necesse est igitur, id, quod Christus tribuit suae exaltationi de terra, quæ erat ejus mors, tribuere ejus exaltationi de terra, quæ erat ejus in cælos ascensio, & ad dexteram Dei sedis. Tunc enim, cum Christus in cælos ascendit, & ad dexteram Dei consedit, sufficientissima causa credendi in eum data fuit omnibus, ad quorum aures Evangelium pervenit, adeò, ut si plures causas Deus dedit, jam locus fidei futurus nullus fuisset, cui tamen locum Deus in religione esse voluit. Nec injuriā quidem. Decebat enim justitiam Dei, ut tantum probi servarentur. Quiverò probi sint, cognosci non potuisse, si nullus fidei locus esset.

*1. Cor. 15.14.17.**2. Petr. 1.3.21.**Heb. 2.14.*

Alterum adhuc locum adducemus, qui idem, quod nunc probare conamus, cuivis etiam pertinacissimo probare potest. Is est Heb:2. ubi sic ait autor istius Epistolæ: *Quoniam pueri participarunt carnem, & sanguinem, & ipse (scilicet Iesus) similiter participavit eadem, ut per mortem aboleret eum, qui habebat imperium mortis, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Quomodo verò Diabolus, (qui mortis imperium habere dicitur, propterea quod istius peccati, per quod mors in mundum intravit, prima origo fuit,) per mortem ipsam Christi abolitus fuit, cum potius per eam ipse & imperium illius fuerit stabilitum? Omnes enim credebant, & jam complauerant, Iesum esse sublatum, & nunquam vitæ restitutum iri, cum viderent eum mortuum. Et certè, si Christus tantum mortuus fuisset, & in morte remansisset, rectius dici posset, Christum a Diabolo vietum, quam Diabolum a Christo abolitum vel destructum esse. *Quis* igitur non videt, verba *per mortem* non esse accipienda de ipsa mortis passione: sed ita tantum, quod, postquam mortuus fuisset Christus, factum est, ut diabolus destructus sit, nempe Christo exaltato. Christi enim divina potentia maximè nunc efficit, ne diabolus tantum nocere possit, quantum velit, Christi fidelibus: Christi divina potestas tandem cum in æternum conteret & destruet, cum scilicet in ignem illum inextinctum conjicietur. Deinde liberatine sunt, vel, liberarine potuissent

sent homines fideles a metu mortis, quo per omne vitæ tempus erant detenti, si Christus in morte mansisset? Nihil minus. Imò Christi mors per se metum istum multiplici modo auxisset. Apertissimè igitur constat, postquam mortuus fuit Christus, factum esse id, unde liberatio a metu mortis promanare perpetuò poterat omnibus credentibus, nempe Christi resurrectio & divina potestas consecuta est, quod utrumq; planè ab omni metu mortis liberare potest eos, quicunq; Deo per Iesum Christum confidunt, & eidem obediunt. Atq; ita certum est, Christi morti id tribui, in negotio salutis nostræ, quod resurrectioni & divinæ Christi potentiae, quæ mortem ejus consecuta sunt, tribuendū erat.

Causa verò, cur hoc sit factum, ea est præcipua: Quòd mors Christi, omnium, qua Deus & Iesus Christus nostri causâ fecere, difficillimum, & maximè arduum est, & maximum charitatis tam Dei quam Christi quam nos prosequuntur, indicium. Deus enim nihil habuit carius, quod nostrâ causâ impendere posset, quam vitam filii sui: Iesus Christus itidem nihil habuit carius, quam suam ipsius vitam. Resurrectio Iesu Christi, & ejus divina potentia, plùs quidem valent ad fidem in nobis excitandam & fovendam, & salutem nostram promovendam: sed in utraq; nihil Deus impendit, nec ullius rei jacturam fecit, quemadmodum impendit rem carissimam, & jacturam ejus quodammodo fecit, dum Iesum Christum ita crudeliter tractari passus est. Christus etiam, resurgendo, & divinam potestatem consequendo, non ostendit se nos amore prosequi, sed præmium suâ obedientiâ dignum divina benignitate consecutus est: At cum passus & mortuus est, tunc verè, quod potuit, difficillimum, fecit, &, quod habuit carissimum, impendit. Quod dum facit Spiritus sanctus, quòd scilicet morti Christi salutem nostram tribuit, rursus aliud querit, nempe, ut ad Charitatem Dei & Iesu Christi ingiter extimulemur; eam verò declaremus fide nostra per Charitatem efficaci. Quæ etiam causa est, cur non resurrectionis, sive exaltationis Iesu Christi, sed ejus mortis, perpetuam extare voluerit, Deus & Iesus Christus, in Ecclesia sua commemorationem, per celebrationem cænæ Domini.

His ita expositis, aliquid amplius de fructu mortis Christi addemus, nempe, quia ad salutem consequendam opus etiam erat, justificazione hominis, iusti scilicet & peccatoris, hoc est, ut ei omnia peccata remitterentur; & hoc modo salus ei daretur: ipse verò homo à peccato desisteret, (Nam vocabulum peccati in S. literis tam reatum quam actum peccati significare, sciunt Christiani Theologi) Christus etiam pro peccatis nostris, vel propter peccata nostra mortuus est, nimirum

Phile. 2. 8. 9.

Quid sit Christus  
pro peccatis no-  
stris mortuus esse.

1. Cor. 15. 3.  
Rom. 4. 25.

mirum, ut tām reatus pēccati, quā est damnatio æterna, quām actus peccati, quā est omnis iniquitas, & morum actionumq̄e pravitas, a nobis tolleretur. Ad tollendum in hominibus credentibus peccati reatum, maximē opus est divinā Christi potentiam. Nam si Christus potest tollere æternam damnationem, & certum est eum etiam velle, quia abundē promisit, nihil obstat, quominus fideles peccatorum remissionem recipiā sint consecuturi. Ad hanc verò potentiam, quia Deus constituerat, ut perveniret Christus morte interveniente, & eam Christus sponte suā subiit, pro peccatis nostris mortuus esse jure dicitur. Rursus ad tollendū in hominibus peccati aētum, præter hoc ipsum, quōd scimus, Iesum Christum morte interveniente divinam potestatem consecutum esse, hēc etiam, quā in morte Christi continentur, plurimū faciunt. Testatur enim (ut paulo ante diximus) mors Christi de summa Dei, & ipsius etiam Iesu Christi erga nos charitate. De Dei enim charitate, qua nos prosequitur, disserturus Dominus ipse ait: *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum illum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Dationem autem filii, de datione, sive traditione in mortem accipiēdam esse, vel id docere potest, quōd in versiculo præcedente de exaltatione Christi, instar serpentis illius ænei in deserto, sermo est, quod nihil est aliud, quām mors Iesu Christi. Hoc verò versiculo ratio ejus redditur, quod ante dictum fuerat; & causa ostenditur, cur Deus eo modo sit passurus exaltari Iesum Christum, quemadmodum olim æneus ille serpens exaltatus fuerat, nempe, summa & incredibilis Dei erga genus humanum charitas. De qua etiam D. Paulus ad hunc modum ait: *Commendat suam charitatem erga nos Deus, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* De Christi verò charitate erga nos, qui mori pro nobis non dubitavit, quisnām dubitet, cum ipso teste, *Majorem hac dilectionē nemo habeat, ut quis animam suam ponat pro amicis suis.* Christus verò etiam pro inimicis, ut ex Paulo audivimus, animam suam posuit. *Quem* verò non moveret tanta Dei & Christi erga nos charitas ad Deum & Iesum Christum redamandum? Gratia enim gratiam parit. Hæc rursus charitas nostra erga Deum & Iesum Christum, qua alia in re exerceri potest, nisi in obedientiā præceptorum Christi? ut ipse Dominus ait: *Qui habet mandata mea, & servat ea, is est, qui me diligit.* & iterum: *si quis diligit me, sermonem meum servabit.* & iterum: *Non diligens me, sermones meos non servat.* Quod idem etiam in Epistola sua prima affirmit D. Iohannes, dum sic ait: *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Præceptorum autem Iesu Christi hoc est primum, ut omnis, qui in eum

Ioh. 3. 16.

Rom. 5. 8.

Ioh. 15. 13.

Ioh. 14. 21.

C. 23.

C. 24.

z. Ioh. 5. 3.

in eum credit, resipiscat, & pænitentiam peccatorum agat, & in postle-  
rum vitam suam ad Christi præcepta totam conformet.

Præterea mortem Christi, quasi sigillum esse, & confirmatio-  
nem omnium illustrissimam novi fæderis, (cuius pars sunt præcepta  
Christi, & inter hæc pænitentia) certissimum est. Hinc enim Christus  
testis verax & fidelis esse dicitur: hinc sanguis ejus sanguis appellatur  
novi fæderis. Si igitur certum est id omne, quod novo fædere contine-  
tur, hinc apparet, posse omnes illud amplecti, & sic etiam pænitenti-  
am peccatorum agere.

Denique Christi mors, quatenus eam consecuta est resurrectio,  
ostendit homini bus præmium, cuius causâ Deo obedire debent, nem-  
pe, vitam immortalem, ut suprà dictum est. Quomodo verò ipsius vi-  
ta immortalis, quæ nobis promissa est, præstantia & ad oculum de-  
monstratio, in hominibus non efficeret studium obedientiæ præce-  
ptorum Christi, & sic liberationem ab omni peccato?

Hunc fructum mortis Iesu Christi, isto modo nobis conciliatum, con-  
siderans Spiritus sanctus, quando de morte Christi sermonem facit, ait:  
Sanguinem ejus nos purgare ab omni iniquitate: Christum sanguinem  
suum fudisse in remissionem peccatorum: Christum ideo mortuum  
esse, ut nos liberaret a præsenti seculo malo: Christum semetipsum de-  
disse pro nobis, ut nos liberaret ab omni iniquitate, & purgaret sibi ipsi  
populum peculiarem, sectatorem bonorum operum: nos Christi san-  
guine redemptos esse a conversatione a patribus tradita: Christum pec-  
cata nostra abstulisse in corpore suo in lignum, ut nos peccato mortui,  
justitiæ viveremus: Christum passum esse pro nobis, exemplum nobis  
relinquens, ut vestigiis ejus insisteremus: Christum semel passum esse  
pro peccatis, justum pro injusto, ut nos ad Deum adduceret. Quæ omnia  
testimonia, & his similia, partim de liberatione a peccatorum pena, par-  
tim de liberatione ex ipsis peccatorum actionibus intelligenda sunt.

Eodem modo intelligenda sunt etiam alia sacrarum literarum te-  
stimonia, quando scilicet dicitur, Deum fecisse Christum peccatum pro  
nobis, ut nos fieremus justitia Dei in ipso, nempe, Christum fuisse tra-  
ctatum ut hominem peccatorem, licet esset omnium innocentissimus,  
ut nos, qui peccatores sumus, ita tractaremur coram Deo, ut justi, nem-  
pe, ut consequeremur vitam immortalem. Eodem planè modo dicitur  
etiam, nos ejus vibicibus sanatos esse, quatenus scilicet interveniente  
Christi afflictione (& nullo alio modo) factum est, ut nos sanationem  
animarum nostrarum consequamur. ut verò justitia, hoc est, justificatio  
nostra, vel sanatio, quod idem est, perficiatur, necesse est Deum id vel-

*Apoc. 1. 8.  
Eph. 3. 14.  
Matth. 26. 38.*

*1. Joh. 1. 7.  
Matth. 26. 38.  
Gal. 1. 4.  
Tit. 2. 14.*

*1. Petr. 1. 18.  
Eph. 2. 24.  
1. Cor. 1. 21.  
c. 3. 18.*

*2. Cor. 5. 21.  
1. Petr. 2. 24.*

Ie, & nos eidem obediare secundum præcepta Iesu Christi. Deum velle, docet Christi divina potestas, quam in hunc finem ei dedit Deus, ut eâ ad nos servandos uteretur. Nos verò ut Deo obediemus, movent, tûm hæc ipsa Christi divina potestas, tûm alia quæ in morte Christi continentur, & cum ea conjuncta sunt, de quibus jam diximus.

Quomodo Christus peccata nostra morte sua abstulerit.

*Colos. 1. 22.*

Quomodo nos morte sua cum Deo reconciliari.

*1. Cor. 1. 24.*

Christus moriens abstulit in corpore suo peccata nostra in lignum, quia scilicet ex ipsa Christi morte, & eâ interveniente, ex potestate, quâ per mortem suam Christus consecutus est, colligimus, nos peccatorum nostrorum pœnas nullas luituros; sed tandem eorundem remissionem plenè & reipslâ consecuturos. Morte Christi nos cum Deo reconciliati sumus, quia nos, qui antea Dei eramus inimici, & planè efferati, ita sumus cicures redditi, ut, cùm audiremus, Deum velle nobis omnia peccata remittere, quod tâm ex ipsa morte Iesu Christi, quâm ex potestate, quæ eum consecuta est, intelligimus, ad nos met ipsos redierimus, & exuta illa feritate, animum mitiorem induerimus, & ita mansueti reddit simus, ut Dei, cuius antea inimici eramus, amici facti, eidem omne vitæ nostræ tempus consecrare velimus. Et quid multa? Tota salus nostra huic uni rei, quæ infirmitas ipsissima est, per se considerata, debetur: quæ tamen, si Dei voluntas consideretur, ejus est & potentia & sapientia, nempe morti Iesu Christi. Spes & certitudo immortalitatis, quam omnes homines unquam habuerunt, ex Christi morte dependet: omnis religio & pietas per eandem efficitur & conservatur. Unus homo nobis moriendo vitæ æternæ certitudinem peperit, & obediendi sibi studium in nobis excitavit, & perpetuò sovet. Qua tota de re extant jam pridem nostrarum Ecclesiarum libri, quos, qui plura scire velit, legere potest. O divinum igitur eum, cuius mors tantorum bonorum causa fuit una & unica.

## C A P: XII.

De nomine Dei, quod Iesu Christus, in terris mortalis degens, habuit.

**L**ibet autem hîc, antequam ad munus Iesu Christi transeamus regium, breviter aliquid addere de eo, quod præter omnia, quæ haetenus commemoravimus de Christi præstantia & divinitate, unum adhuc restare videtur, quodque ex his omnibus colligitur, nempe Iesum Christum, tunc etiam, cum in terris mortalis degeret, Deum appellatum, & reipslâ fuisse. De eo enim, quod nunc, cùm immortalis evasit,

lis evasit, Deus appelletur & sit, non est illum dubium, ut ex iis, quæ paulò pòst de ipsius divino regno dicturi sumus, constabit.

Appellatus est igitur D.Iesus Deus, respectu muneris, quod in terris gessit, a D.Iohanne bis. Sic enim primum de eo testatur: *In principio erat ille sermo, & ille sermo erat apud Deum, & Deus erat ille sermo.* ubi certum est, Iohannem, quem admodum de Iesu Christo, quem sermonem appellat, (vel quia sicut per sermonem hominis, voluntas ejus patet: sic per Christum divina voluntas nobis innotuit, quomodo etiam Christus dicitur via vel ostium: vel quia sermonis Divini, hoc est, voluntatis ejus primus præco & annunciator fuit, quomodo etiam vita & resurrectio appellatur) quemadmodum, inquit, de Iesu Christo prædicarat, quòd ab initio fuerit, & fuerit scilicet in ipso initio, ut versu sequenti affirmat, apud illum Deum: sic etiam de eo prædicare, quòd Deus fuerit. Idem etiam Iohannes narrat, Iudeos Christo respondisse, senon de bono opere lapidibus eum petere, sed de blasphemia; & quòd cùm homo esset, faceret seipsum Deum. ubi procul dubio vox, & copulativa, pro expositiva, id est, accipienda est, ita ut in sequentibus verbis ista blasphemia, quam Iudei D.Iesu affingebant, explicetur & exprimatur. Ad quæ Iudeorum verba responsione Christi describens D. Iohannes, non ait eum negasse, quòd esset Deus: sed potius ostendit, eum docuisse, jure sibi id competere, & se in eo nihil sibi arrogasse nimium, dum ista D.Iesu verba recenseret: *Si eos Deos appellavit, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Hæc sunt loca in novo Fædere, in quibus Christus Deus expressè appellatur, respectu muneris sui Prophetici, ideoq; tunc cùm mortalis esset. Reliqua loca, in quibus Christus Deus appellatur, alio respectu ad eum pertinent, ut cùm Thomas eum Dominum & Deum suum appellat, & D. Paulus ait, eum esse Deum benedictum in secula. De quibus postea dicendum nobis erit, cùm ad alia, absolute hoc tractatu de Christi munere Prophetico, perrexerimus. In veteri Fædere prædictum etiam esse credimus, eum Deum appellatum iri, ut locus ille Esa. 9. celeberrimus ostendit, ubi interalia encomia, quibus parvulus iste nobis nascendus, & filius nobis dandus ornatur, hoc etiam additur, eum vocatum iri Deum, & fortem, vel Deum fortem. Quoq; quidem nostro iudicio tam ad munus Christi Propheticum, quam Regium referri potest.

Ad totum verò hoc expediendum in primis notandum est, quænam sit vocis *Deus* in sacris literis significatio. Est igitur ista vox non propria, sed ut vocant, appellativa, & primum significat illum, qui a se-

Loca, in quibus  
Christo nomen  
Dei tributur.  
*Ioh. 1. 1.*

*Ioh. 10. 20.*  
*Eccl. 14. 6.*

*Ioh. 11. 25.*

*Ioh. 10. 33.*

*Ioh. 10. 35. 36.*

*Ioh. 20. 28.*  
*Rom. 9. 5.*

*Esa. 9. 6.*

Quæ sit signifi-  
catio vocis Deus  
in S. literis.

ipso dominatur, & ita omnium est autor, ut neminem superiorem habeat, vel ab eo pendeat. Quo sensu dicitur Deus esse unus. Deinde significat etiam illum, qui summam aliquam potestatem ab illo uno Deo habet, vel aliqua alia ratione divinitatis illius unius Dei est particeps. Hinc ille unus Deus, id est, Iehova, Deus Deorum dicitur. Et hoc sensu tam Angeli, quam homines potestate divina prædicti, Dii in sacris literis appellati sunt, non quidem fictitii aut imaginarii, sed omnino, suo modo, veri. Videamus jam, quoniam sensu tributa sit appellatio Dei Iesu Christo.

Quando igitur nos testimonia suprà allata legimus, non negamus quidem, Iesum Christum Deum esse: immo toto corde illud credimus, & pleno illud ore confitemur: Quia vero rursus legimus, illum Sermonem, qui fuit Deus, nempe Iesum Christum, fuisse apud illum Deum, nempe Patrem: (is enim solus est ille Deus) & hominem illum Iesum, propterea confessum esse, quod Deus sit, quia Pater eum sanctificabit & in mundum misericorditer, non possumus non cogitare, alium esse eum, qui apud Deum illum fuit, & a Patre sanctificatus & in mundum missus fuit, ab eo, apud quem fuit, & a quo sanctificatus, & in mundum missus fuit.

Distinctio personarum in Deo nulla est.

Distinctio naturarum in Christo nulla est.

Incarnationis Christi nulla est.

Cum vero audimus, vulgus Christianorum ita differere, quod, dum Filius Dei apud Deum fuisse dicitur, distinctio tantum personarum innaturatur, non autem essentiae, fatemur, nos ista intelligere non posse, quomodo persona differat ab essentia, quae numero sit una & simplicissima, ita ut plures unam personam esse possint in essentia, quae numero sit una, qualis est Dei essentia: sed credimus constantissime, tot esse oportere essentias numero unas, quot personas rationales: & vicissim tot personas, quot essentias numero unas. Rursus, cum audiimus eos differentes de eo, quod filius a Patre sanctificatus, & in mundum missus fuerit, id intelligendum esse ratione humanæ Christi naturæ, nos, praeterquam quod harum duarum in Christo naturarum nullam mentionem in S. literis fieri videmus, intelligere non possumus, quomodo opus fuerit, ut Pater filium sanctificaret, vel, quod maius est, quomodo fieri potuerit, ut Pater filium sanctificaret, & in mundum mitteret, siquidem filius idem Deus est, qui Pater. Tamen enim filius istud omne haberet, vel potius non habere non posset ab ista sua divina persona, ab ipso punto, quo naturam humanam assumit, quod erat divinum in Patre, quam ipse Pater. Cum denique audimus, istam sanctificationem D. Iesu, pertrahi ad generationem ejus ex essentia Patris, & missionem in mundum, ad ejus, quam vocant, incarnationem, dolemus

dolemus sanè hominum in inveniendis hujusmodi commentis audaciam. (nihil dico gravius) Cùm, (ut alia taceamus) sanctificationem & in mundum missionem talia omnino fuisse necessè sit, quæ tunc Iudeis, quibuscum Dominus loquebatur, velevidentia & cognita erant, vel evidentia & cognita saltē esse poterant. Alioquin Christus frustrā ex illis divinitatem suam eis probare conatus fuisset. Quomodo verò id evidens & cognitum esse poterat, quod nemini unquam in veteri fædere revelatum fuerat, & ratione nulla percipi potest?

Ac dum ita hæc omnia consideramus, cò adducimur, ut ea planè rejiciamus, non ideò, quòd ea non intelligamus, sed ideò, quòd ea vera esse nullo modo posse, optimè intelligimus. Divinitas autem Iesu Christi qualis sit, discimus ex sacris literis, nempe talis, quæ propter munus ipsius divinum tota ei tribuitur. In priori enim loco Iohannis videmus, ideò Dominum IESUM Deum appellari, quòd omnia & singula, quæ in munere ejus, quod interris degens gessit, continentur, divinitatis plenissima fuerint, quod ita se habere, paulò ante ostendere conati sumus, & nō fallor, ostendimus. Quorum quædam etiam D. Iohannes ibidem addere non neglexit, dum ait primùm: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est,* docturus scilicet, omnia, quæcunq; ad Evangelium pertinent, (hoc enim describere instituerat Iohannes, & hujus objectum est Iesus Christus) a Deo per Iesum Christum primum & solum cæpta & perfecta esse. Ipse enim primus & solus docuit Evangelium: is primus & solus illud confirmavit: is primus & solus aliis etiam prædicandi regnum Dei provinciam dedit. Et quicquid ab aliis factum est, ad Evangelii prædicationem & confirmationem pertinens, illud totum uni Christo acceptum referri debet, quia sine ejus auxilio & potestate factum non sit, adeò ut ea etiam, quæ, Christo in cælos exaltato, facta sunt ad Evangelium pertinentia, nempe vocatio gentium, & abolitio ceremoniarum legalium, quæ per Christi Apostolos facta esse nemo nescit, sine Christo tamen facta non sint, quemadmodum ipse Dominus Apostolis dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Deinde ait Divus Iohannes: *In ipso vita era, nempe illa æterna, ut idem Iohannes alibi expressè ait: Hoc est testimonium, quòd vitam æternam dedit nobis Deus:* hæc verò vita in filio ejus est. Fuit autem hæc vita in Iesu Christo, quatenus scilicet eam Christus primus revelavit, & ab eo prædicandi eam initium factum est. Quæ tanti boni prædicatio, Lux vera fuit hominum, quatenus omnes, qui antea in tenebris, hoc est, ignoratione hujus voluntatis divinæ detinebantur, illustravit, & mentes eorum ita reformati, ut aliam planè

Cur Christus De-  
us a Iohanne. c. I.  
appellatur.

Quid sit per  
Christum facta  
esse omnia.  
Iob. I. 3.

Iob. 15. 6.  
Iob. 5. 11.

Spem conciperent, quam antea habuerant. Tum addit, omnem hominem ab eo, cum in mundum venit, hoc est, cum praedicare Evangelium incepit, illuminatum esse, quatenus scilicet per eum non stetit, quomodo omnes Iudei, & deinde etiam omnes gentes extraneae ad eum converteretur. Porrò ait, mundum per eum factum esse, hoc est, homines, quibuscum conversabatur, verum & perfectum Dei populum, effectos fuisse, (quantum quidem Deus facere in hujusmodi actionibus solet, vel ex parte Dei) & omnibus ostensum fuisse, quis verus cultus Dei esset, quo Deus colli vellet. Præterea subjungit, eum illis, qui se receperant, dedisse potestatem, ut filii Dei fierent, hoc est, certissimam spem fecisse, eos tandem re ipsa vitam æternam consecuturos. Deinceps ait, ab Apostolis visam esse gloriam ejus singularissimam, tanquam unigenitia Patre, quia scilicet in monte sacro quidam eorum D. Iesum transfiguratum viderant, & vocem ex celo de eo audierant: *Hic est Filius ille meus dilectus, in quo mihi complacui;* omnes vero eundem ex mortuis resuscitatum & viderant, & cum eo familiarissime conversati, tandem eum in caelos ascendentem aspicerant. Denique concludit Iohannes, & ait: omnes, quicunque; Evangelium vel docuerunt, vel idem didicerunt, id ab eo accepisse; & loco istius legalis gratiae, gratiam tantum maiorem consecutos esse, ut solum Evangelium, gratia & veritas dicere mereatur, in quo adeo perfecte & accuratè Dei voluntas nobis sit expressa, ac si ipsum Deum vidissimus, vel audi viissimus nos alloquenterem. Hæc sunt, quibus nobis divinitatem Iesu Christi probare Iohannes eum in loco voluit.

*Cur Christus in altero loco Iohannis Deus appellatur.*

*Ioh. 20. 22.*

In altero vero loco apertissimè videmus, Iesum Christum ideo concedere & affirmare, se Deum esse, quia a Patre sanctificatus, & in mundum missus fuerit. Quid vero magis est vero cōsentaneum, quam Iesum Christum hominem, sanctificatum a Patre suo tunc fuisse, quando eum natum jam, & muneri suo destinatum, unxit Deus Spiritus suo sancto: & rursus, tunc eum fuisse in mundum missum, cum munus illud suum obire, & divinam homines voluntatem docere cepit? quemadmodum de Apostolis etiam propter eandem causam legimus, eos missos a Christo fuisse, ut Christus a Patre missus fuerat. Ut igitur divinam illam ad munus suum initiationem, & divinam divini muneris sui functionem, documenta divinitatis suæ esse Dominus Iesus voluit: Sic etiam nos eadem pro infallibilibus divinitatis ejus, quam in terris mortaliis degens habuit, argumentis habentes, ipsissimam nos veritatem sequi persuasi sumus, & in eo proinde toti acquiescimus.

*Vbi etiam illud, quod veritatis studio multum prodeesse potest, non*

*Christus ita Deus est, ut filius Dei est.*

non omittendum est, quod Christus concessit eo, quod sibi obijciebatur, & docturus, se id jure sibi vendicare, pro eo, quod concludere debuerat, si modo ad objectionem adversariorum directe respondere voluit: vos dicitis, quod blasphemem, quia dixi, Deus sum, dixit, vos dicitis me blasphemare, quod dixi, Filius Dei sum. Quod non credibile est, Christo per aliquam incogitantiam, quasi excidisse sed datâ operâ id ab eo pronunciatum fuisse planè statuendum est, ut ita Christus una responsione duo & quæ necessaria simul efficeret, nempe, ut suam veram gloriam assereret; Patris verò sui præminentia nihil detraheret, cum docuit, se Deum esse; & simul, se non illum unum Deum esse, sed talem Deum, qui ab ipso Deo uno divinitatem suam habeat. Nimis enim certum est, eum, qui est Dei filius, non posse esse eundem Deum, cuius filius est. Eatenus igitur Deus est Iesus Christus, quatenus Dei filius est. Filius autem Dei est D. Iesus, licet propter ipsam etiam miraculosam conceptionem & nativitatem: maximè tamen propter similitudinem, quam cum Deo habuit, & habet. Similitudo autem Iesu Christi cum Deo maximè in munere ejus conspicitur. In eo enim, ut paulò antea diximus, apparet, quod Iesus Christus, qui, quoad naturam verus homo erat, quod ad sanctitatem, potentiam, sapientiam propior Deo, quam homini fuerit. Divina fuit sanctitas, divina potentia, divina sapientia Iesu Christi. Ethac quidem de divinitate Iesu Christi dicta sunt, quam etiam tunc re ipsa habuit, cum adhuc mortal is in terris degeret, quæ tanta est, ut verè Deus appellari potuerit: At si nunc eam etiam divinitatem, quam ex mortuis resuscitatus, & super omnes cælos exaltatus, consecutus est, prædicare velimus, cuius respectu, licet futuræ, tamen certissimè destinatae, ita tunc appellari potuit, quemadmodum etiam respectu muneris sui, quod 30. demum anno ætatis suæ labente, vel elapsi aggressus est, Servator ab ipso nativitatis tempore appellatus fuit, tunc demùm appareret, quam justè hoc Domino Iesu Christo competat, quod cum Dominum suum & Deum suum appellavit Thomas, Deum verò benedictum in secula D. Paulus. Quomodo enim eum, qui jam resurrexerat, & propterea jam omnia perfecerat, quæ ad consequendam gloriam immortalem pertinebant, Dominum suum, & Deum suum, hoc est, Dominum suum talem, qui divino modo ei imperaturus erat, non appellaret D. Thomas? Quomodo item eum, qui omnem potestatem in cælo & in terra consecutus erat; cui omnes Angeli, & homines subjecti erant, eumque colebant, Paulus dubitaret Deum benedictum in secula appellare? Sed quia hac de re paulò fusius in sequentibus capitibus agendum nobis crit,

Iob. 20. 28.

Luc. 2. 23.

Luc. 2. 15.

**Cur magis mirū sit, Christum Deum fuisse, cum in terris degeret, quam nunc, cùm in cœlis degit.**

*Psal. 8. 6.  
Heb. 2. 7.*

**Responsio ad ob-  
iectionem adver-  
sarium de Deo  
facto.**

*Phil. 2. 9, 10.*

*Act. 2. 36.*

*I. Cor. 8. 7.  
Responsio ad ca-  
villum eorum,  
qui dicunt nos  
habere Deum fi-  
ctium.*

*Psal. 51. 1.  
Psal. 82. 1.*

erit, ubi de regno Iesu Christi divino agemus, quæ omnia ad divinitatem ejus illustrandam pertinent, nolumus nunc plura de eo dicere. Hoc tantum addimus, minùs in eo laborandum esse, ut ostendatur, Iesum Christum ab eo tempore, quo supremam in cœlo & in terra a Deo consecutus est potestatem, Deum esse. Quis enim hoc negaret, quod ipsa res loquitur? Quis eum, qui immortalis & dominus omnium Angelorum effectus est, Deum esse neget? At in eo laborandum aliquid fuisse putavimus, quod est multò mirabilius, nempe, ut diceretur, eum tunc etiam, cùm adhuc mortalis esset, & in Angelos imperium nondum haberet, sed eis certo respectu minor esset, Deum reverâ fuisse. Hoc enim demonstrato, per se patebit, eum nunc multò perfectius ista dignitate prædictum esse, posteaquam in cœlis regnare cœpit.

Nolimus autem quenquā hīc nobis obstrepere, & in re nimis seria nobis illudere: quod, quia Christum isto modo Deum agnoscamus, Deū habeamus factū & fictitium, ut multos scribere nō pudet, & ita non verum Deum: vel quod, si eum pro vero Deo habemus, duos habeamus Deos, & ut porrò blasphemare non dubitant, idolatræ simus, vel aliquid cum ethnicis commune habeamus. Sunt enim ista omnia ita comparata, ut apud homines tantum leves & parùm pios speciosa esse videantur: interim verò apud graves & pios futilia planè sunt, & indigna ferē, ad quæ aliquid seriorē respondeatur. Hujusmodi enim objectiones vel potius exagitationes, non nobis, sed sacris literis bellum indicunt, quæ, quia Iesum Christum propter certas causas, quæ ex solius Dei voluntate, & gratia liberrima profectæ sunt, Deum appellant, eum sanè hoc ipso, factum esse confitentur, & illum unum verum Deum, qui Pater est, esse nullo modo permittunt. Frustra est verba Spiritus S. lineā inductā denigrare, quibus affirmat: Pro certo sciat tota domus Israëlis, quod & Dominum & Christum fecit eum Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Eo autem modo, (ut hoc etiam propter simpliciores addamus) quo Petrus D. Iesum affirmat esse factum Dominum & Christum, dici a nobis potest, eum etiam esse Deum factum. Cum istic Christi dominiū sit ipsa ejus divinitas: & summa Christi divinitas sit, quod is est ille unus Dominus, per quem omnia, testē D. Paulo. Qui verò etiam eō audaciæ progrediuntur, ut audeant dicere, nos habere Deum non verum, sed fictitium, quia scilicet Christum non agnoscamus pro illo uno vero Deo, qui Pater est, his mentem meliorem a Deo optamus, & ne eos propterea puniat, eundem rogamus. Quid enim? Nūm statim is, qui nō est ille unus verus Deus, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, non est verus Deus, sed fictitius? Apage istam ruditatem. Certè enim isti, quorum

quorum respectu Deus appellatur Deus Deorum, & in quorum medio stetit, & quos ipse Deus Deos appellavit, nec Deus ille unus verus, nec tamen fīctitiū Dii sunt. Nam vocabulum *verus*, cum de Deo illo uno prædicatur, non tantum falsis Diis opponitur, ita, ut quicunque non est ille unus verus Deus, falsus sit Deus: sed etiam opponitur Diis aliis veris, qui tamen modo minus excellenti Diis sunt, quām ille unus Deus, qui verus Deus est κατ' ἔξοχην, hoc est, modo omnium excellētissimo, cūm reliquis id per analogiam competit. Hoc modo Evangelium dicitur veritas, respectu ipsius legis, non quōd lex non sit vera: sed quōd multo excellentiori modo veritas competit Evangelio, quām legi. Hoc modo tabernaculum, in quod Christus ingressus est, verum appellatur respectu legalis, quod tamen non erat falsum. Et hīc iterum veremur, ne quis nos sugillet, quasi, dum ista afferimus, Christum cum ipsis rebus comparemus. Non comparamus Christum cum his rebus, sed tantum similitudinem afferimus, & similem loquendi modum. Est igitur Christus verus Deus, quia veram divinitatem habuit & habet.

Illud verò, quod dum hoc docemus, nobis plarunque objicitur de dualitate Deorum, planè pro nihilo habendum est. Certum enim est, nos ex sacris literis habere suppeditata arma, quibus nos hac in re tueri possumus. Legimus Deum unum esse: legimus etiam Deos multos esse; & legimus utrumq; in uno capite octavo i. ad Corinth., ubi semel dicitur: *scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus Deus alter, nisi unus.* Deinde iterum dicitur: *Nam et si sunt, qui dicuntur Dii sive in cælo, sive in terra (sicut sunt multi Dii, & domini multi.)* Vnde apertè videre est, Paulum ipsum hoc prævidisse, quōd ipsis simplici pronunciato, *nullus est Deus alter nisi unus*, possit aliquid objici, & quidem jure quodam, & specie veri. Non enim tantum ex mente aliorum loquitur, sed etiam ex sua, dum ait: *Quemadmodum sunt multi Dii.* Statuemusne igitur Paulum idololatram aut ethnicum esse, qui plures uno Deos esse fateatur? absurdumne videbitur nobis, quod Paulus nos docuit? Minimè verò gentium. Audiamus enim ipsum Paulum, nodum hunc resolventem, qui, concessu eo, quōd multi sunt Dii in cælo & in terra, hanc Maximam statuit: *Nobis autem unus Deus (est) ille Pater, ex quo omnia, & nos in illum.* Credēdum est, Deos esse multos veros præter unum, alioquin Deus non posset esse eorum Deus. Quid enim Deo commune cum idolis & diis fīctitiis? Rursus credendum est, unum esse Deum, illum Patrem, ex quo omnia, & nos in illum, utrumq; enim Paulus affirmat. Distinguēdum scilicet est inter eos, qui sunt alio modo Dii, licet veri, quām Deus ille unus est; & agnoscendum illos ideo Deos esse,

Quonodo Deus  
dicatur verus  
Deus.

Ioh. 1. 17.

Heb. 8. 3.

Responsio ad ob-  
jectionem de du-  
alitate Deorum.

1. Cor. 8. 4. 5.

quia divinitatis datae sint participes. At talis Deus unus tantum agnoscend<sup>e</sup> est, qualis est ille Pater, nempe Domini nostri Iesu Christi, nimirum, ex quo omnia, & nos in illum. Talis, inquam, Deus unus tantum est.

At rursus, annumerabimusne præcisè Iesum Christū illis multis Diis, qui sunt extra unum Deum illum Patrem, ex quo omnia & nos in illum? **Cavet** sanè hoc Paulus. **Quemadmodum** enim dicit: *Nobis est unus Deus, ille Pater, ex quo omnia, & nos in illum;* sic etiam ait: *Nobis est unus Dominus, Iesu Christus, per quem omnia, & nos per illum.* Quæ verba Pauli totam hanc difficultatem facillimè solvere possunt: nempe Iesum Christum non esse pro illo uno Deo agnoscendum, quia non sit ille Pater, ex quo omnia, & nos in illum; nec etiam annumerandum simpliciter illis aliis Diis, quia nullus corum fuerit, aut sit, aut esse possit, unus Dominus noster, per quem omnia, & nos per illum. Est aliquid medium inter illum unum Deum, & alios Deos veros, Iesu Christus. Si causam efficientem divinitatis Iesu Christi respicias, habet eam communem cum illis multis veris Diis. Apertè enim S. literæ testantur, donatum ei esse a Deo nomen super omne nomen; & datam ei esse omnem potestatem in cælo & in terra, quemadmodum etiam omnes alii Dii extra illum unum Deum Patrem, divina benignitate id consecuti sunt, quod Dii sunt: Si verò id, quod donatum vel datum est Christo, nempe ipsam divinitatem consideres, jam exemptus ex numero illorum multorum Deorum, & unum quodammodo cum illo uno Deo Patre est Christus. Omnia enim illorum multorum verorum Deorum, qui sive in cælo, sive in terra fuere, aut sunt, Deus est, Iesu Christus. Omnis per eum salus ad homines derivatur; & omnes per eum, ad Deum tandem perducentur.

**Cur Spiritus S:  
nolit dici, Duos  
esse Deos.**

Cavit autem rursus hoc Spiritus S., quantumvis Iesu Christus unum cum illo uno Deo Patre sit, quod ad divinam potestatem ejus attinet, (de quo paulò inferius dicem<sup>e</sup>), ne unquam aliter diceretur, quam ut antiquitus dictum erat, Deum esse unum; nec unquam nos docuit ita loqui, quod duo sint Dii veri, ut scilicet hac ratione sarta tecta unius illi Deo Patri sua servaretur prærogativa, quæ hisce loquendi modis facile obscurari posset. Nam credi posset, si duo veri Dii essent dicerentur, utrumq; naturā talem esse, quod esset, religionem & cognitionem Dei tollere, & homines ad deliria ethnicorum tacitè deducere. Et qua cautione Spiritum S. usum esse, in hoc tanto mysterio explicando, videamus: cādem nobis etiam utendum esse notemus. Vnus Deus agnoscendus est pater ille, ex quo omnia: unus etiam Dominus agnoscendus est Iesu Christus, per quem omnia, qui quia divino modo dominatur, ideo etiam Deus est,

Si dice-

Si diceremus, Deum Patrem esse illum verum unum Deum: & Iesum Christum pariter esse illum unum verum Deum, esset aliquid a fine ei, quod de Ethnicis legimus, qui credebant, Deos esse plures uno, quorum alter ab altero nullo modo penderet, sed omnes essent pares & æquales: Nunc verò, cùm dicimus, unum esse Deum, ex quo omnia, & omnis divinitas; & rursus alios etiam esse dicimus, &, suo modo, etiam Iesum Christum, qui a Deo illo toti pendeant, non alios Deos introducimus: sed illum unum Deum mirificè extollimus, dum scilicet omnia ad eum referimus, quæcumque divinitatem aliquam spirant.

Præterea, si talem unum Deum, & eius subordinatos Deos, & Iesum etiam Christum, fingeremus ex nostris cerebris, possemus jure idolatriæ & ethnicæ impietatis accusari: Nunc verò, quia hac tota in re sequimur expressam Dei voluntatem, in literis S. nobis revelatam, nō est anxiè nobis contendendū de eo, nec ratio reddenda ejus, quod nos contemnunt: sed potius cum admiratione amplectendum est hoc mysterium, & considerandum, quanta in eo lateat Dei sapientia, quod se unum Deum, & Iesum Christum unum Dominum, a se dependentem, esse voluerit, & ita nobis semet ipsum revelarit.

Non possumus enim hīc non paucis verbis, in publicum producere & detegere nimiam Diaboli astutiam & efficaciam, qui hoc ipsum exosum reddere, tanquam commentum ethnicum, potuerit hominibus Christianis, quod præcipuum Christianæ religionis caput, vel potius unicum & propriissimum hominum Christianorum adjunctum & signum est. Ut enim Iudæorum proprium est, unum tantum Deum confiteri, & in eum solum credere: ita hominum Christianorum proprium est, unum illum Deum, quem Israëlita confitebantur, qui Pater est Iesu Christi; & unum cum illo Iesum Nazarenum, ab illo uno Deo in mundum missum, ex mortuis resuscitatum, & potentiam divinam donatum confiteri, & in illum etiam credere, ut Dominus ipse ait, vel per illum in Deum, ut D. Petrus loquitur. Iudæis dictum erat: *Audi Israël, Deus tuus, Deus unus est: Christianis, qui sunt verus Israël Dei, dictum est: Nobis Deus unus est, ille Pater: & unus Dominus Iesus Christus.* Quicunq; hunc utrumq; non confitetur, is Christianus non est: & rursus, quicunq; hunc utrumq; confitetur, hunc Christianum professione esse, nemio negare potest. Et hoc est canticum illud novum, hoc est, novus ille cultus Dei, quem D. Iohannes testatur tributum fuisse a 24 senioribus, & quatuor animalibus (per quæ procul dubio universa Chri-  
stianæ Ecclesia describitur) Agno illi stant, tanquam occiso, qui eos redemisset

*Quis pro Ethni-  
co habendus.*

*Quis pro idola-  
tra sit habendus.*

*Proprietas Chri-  
stianæ religionis  
& differentia a  
Iudaica, quæ sit.*

*Iob. 14. 1.*

*Gal. 6. 16.*

*Apoc. 5. 8. 9.*

*1. Cor. 16. 22.*  
4.

misset Deo in sanguine suo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisset eos Deo Reges & sacerdotes. Quem cultum deinde iterum ait tributum fuisse ab omni creatura, quæ est in cælo, & super terram, & sub terra, & in mari, quæ sunt, & quæ (sunt) in eis, Sedentia in throno, & Agno. Hinc etiam illæ Apostolicæ, & verè novo Fædere dignæ natæ sunt salutationes: Gratia, & pax a Deo Patre nostro, & Domino nostro Iesu Christo. Quæ inter Christianum & illum antiquum Dei populum, specificam, ut loquuntur, constituant differentiam. Nam quantumvis quis Deum confiteatur: tamen si Iesum Christum Dominum nostrum non amet, anathema est. Et tamen, proh dolor, hodie illi vix pro Christianis habentur, qui illud constantissime credunt: interim alii sibi vi vendicant, se Christianos esse, qui hos & odio habent, & quantum in eis est, vitâ eos privatos vellent. Quibus cum si summo jure agendum esset, & considerandum, quænam sit dogma tum, quæ habent, plurimorum vis & efficacia, vix tam augusto nomine gaudere possent: Sed quia plerosq; hoc, quod sentiunt & faciunt, ex ignorantia merasentire & facere persuasi sumus, ideo mitissime eos tractamus, & tantum, ut ab ipsis variis erroribus liberari possint, pro virili curamus. Quanta verò in hoc sapientia, quanta potentia, quanta bonitas Dei lateat, quod non tantum se pro uno vero Deo hodiè agnoscit: verum eriam Iesum illum Nazarenum, pro uno Domino nostro haberi velit, de eo postea plura, Deo volente, dicemus, cum de Christi regno sermonem habituri sumus. Nunc igitur, finita hac quæstione, quam hoc in loco movere, utile esse credidimus, revertantr ad nostrum propositum.

### C A P. XIII.

#### De Resurrectione Christi.

**A**bsolutis igitur, breviter quidem, omnibus, quæ ad munus Christi Propheticum pertinere credimus, nunc ad munus ejus Regium & Sacerdotale considerandum transimus. Sunt enim hæc duo munera ita inter se conjuncta, ut, loquendo de uno, plarunq; id dicatur, quod ad alterum etiam, diverso tamen respectu, referri poslit.

Hic autem plura nobis consideranda sunt. Nec enim frustrà D. Petrus, cuius scriptio Spiritualem quandam nervositatem habet, ista verba scripta reliquit: Prophetas scrutatos esse, in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuncians eas in Christum passiones,

& post hæc glorias. Passiones, inquit, & glorias, non passionem, & gloriam, ut, quemadmodum multiplex fuerat Christi afflictio: sic etiam ad multiplicis Iesu Christi gloriae, quæ afflictiones & mortem illius consecuta sit, considerationem nos tacite exhortetur. Quod ut rectius a nobis fiat, primùm ea consideranda sunt, quæ regnum Iesu Christi antecesserunt, & quibus quasi gradibus ad istud Dominus Iesus pervenit. Deinde verò, quod nám & quale istud regnum Christi sit.

Quæ Iesu Christi regnum antecesserunt, & quibus quasi gradibus ad istud pervenit, duo sunt: Resurrectio ejus & ascensio. Nec enim prius D. Iesus Rex reipslâ factus est, quam cum consedit ad dextram Dei Patris, & regnare reipslâ in cælo & in terra caput: nec etiam resurrectio & ascensio ejus, ad munus Propheticum pertinent. Restat igitur, ut aliquid sint medium nempe id, quod diximus. Age nunc videamus de priori, quod est Resurrectio Iesu Christi.

Hic autem nobis iterum occurunt quædam peculiariter consideranda. Primùm, quid sit resurrectio. Deinde, unde pendeat certitudo resurrectionis Iesu Christi. Tùm quis sit ejus causa efficiens. Præterea cur tertia die facta sit. Denique quis fructus & finis illius sit.

Resurrectio igitur, vel resurgere (ut de primo primùm agamus) nihil aliud est, quam ex non existente iterum existere. Hinc generatiōni assimilatur resurrectio: Hinc etiam de mortuis dicitur, quod non sint, naturā scilicet rei inspectā. Et quod aliqui vivere dicuntur, nempe Deo, id non aliter accipiendum est, quam eos olim ex mortuis resuscitatum iri. Hoc enim verè est Deo vivere, ut locus Luc: 20. aperte docet, in quo Christus, per id, quod dixerat de Abrahamo, Isaaco & Iacob, quod Deo vivant, demonstrat, eos resurrecturos ex mortuis. Et quod ad Christi personam attinet, non debet nobis obesse quicquam ad hanc rem intelligendam id, quod Christus statim tertio post die resurrectit, quasi scilicet Christus noncessaverit existere. Tām enim is verè mortuus est, qui unam horam mortuus est, quam is qui mille myriades annorum mortuus fuit; & planè censendum est, Iesum Christum tunc, cum mortuus esset, fuisse in eadem conditione, in qua omnes alii mortui sunt, non secus ac si ante multos annos mortuus, & planè in nihilum redactus fuisse. Nam si hoc non bene observetur, non potest spes nostra firmissima esse. Nos enim non ita morimur, ut tertio die resurrecturi simus: & tamen resurrectionis nostræ ex ipsa Christi resurrectione spem habemus. Quare verò Christus tām cito resurrexit, postea videbimus. Et non dubitamus, plurimi interesset, ut hoc, quod nunc dicimus, optimè teneatur. Nec enim temere \$, literæ te-

Resurrectio &  
ascensio Christi,  
aditus sunt ad  
Regnum illius.

*NB quod sit*  
Quid sit resurrectio ex mortuis.  
Phil. 2. 7. *Vives*  
Ad. 13. 33. *Dicitur*  
Mat. 2. 18. *Dicitur*  
Psal. 38. 14. *Dicitur*  
Lament. 5. 7. *Dicitur*

*Christus ita mo*  
*rebus atque temp*  
*um redatus es*  
*et de parvitate ex illis*

Cur dicatur  
Christum fuisse  
in inferno.

*Psal. 16. 10.  
Act. 2. 27.*

*1 Cor. 15. 4.*

*Apoc. 1. 17, 18.*

*Apoc. 20. 53, 54.*

*Col. 1. 18.*

*Apoc. 1. 15.*

*1 Cor. 15. 20, 21.*

*Esa. 9. 6.*

Vnde pendat certitudo resurrectionis Christi.

*1 Cor. 15. 4.*

*2 Petr. 1. 20.*

testantur, Deum non dereliquisse animam Domini Iesu in inferno, quod etiam in Symbolum, quod vocant, Apostolorum illatum est, dum ibi dicitur, Christum descendisse ad infernum. Quibus verbis nos credimus significari, Iesum Christum verissimè & propriissimè mortuum fuisse, ita, ut alias quivis homo moritur. Quam rem voluit Deus esse notissimam, (propter quod etiam sepulturæ Christi mentionem facit D. Paulus,) ut scilicet omnes credentes, qui & ipsi incidere possunt in mortem, ita ut nulla inter eos & alios impiissimos post mortem sit differentia, certò persuasi sint, futurum olim, ut ex his vinculis mortis & inferni liberentur. Quod etiam Dominus Iesus innuit, dum ait Iohanni in Apocalypsi: *Nemetuas, ego sum primus & novissimus, & vivens, & fui mortuus, & ecce vivens sum in secula seculorum, Amen. & habeo claves inferni, & mortis.* Vnde apparet, esse aliquid diversum mortem ab inferno. Hinc etiam idem Johannes ait: Mortem & infernum redditurum suos mortuos; & iterum, licet sermone nimis figurato, ait: mortem, & infernum conjectum iri in stagnum ardens. Iesus Christus igitur primus est, qui ex non existente iterum extitit; & ex morte & ipsius inferni faucibus eruptus, immortalis vivit. Ob quam etiam causam primogenitus ex mortuis, vel primitiæ eorum, qui obdormierunt, appellatur. Quæ sanè non minima Christi præstantia & gloria censenda est. Ab Adamo cæptum est vivere vitam hanc caducam: a Christo cæptum est vivere vitam illam æternam. Quam ob causam etiam Pater futuri seculi, vel Pater æternitatis (quemadmodum scilicet Adam pater fuerat hujus seculi & temporalitatis, ut ita dicam) jure a Prophetæ appellatus est. Sapiens igitur ille est, qui, quid sit resurreccio, intelligit.

Iesum autem Christum ex mortuis resurrexisse, licet nemo dubitet: tamen cur id dubium nemini esse debeat, fortasse non omnes intelligunt. Itaq; hoc ipsum, quod resurreccio Christi res est omnium miraculosarum mirificissima, & tamen tam constanter olim & hodie a tot hominum myriadibus creditur, facit, ut ea res præstantissima, gloriosa & divina censenda sit. Ait Apostolus, Christum resurrexisse secundum Scripturas. Ergò testabantur S. literæ de Christi resurrectione. Qui verò fiebat, quod illi ipsi, qui literas S. tunc temporis recipiebant, & nunc recipiunt, Iudæi, Iesum ex mortuis resuscitatum fuisse, nec credebant olim, nec nunc credunt: quin immo audacter, & impudenter affirmant, Iesum in morte remansisse? Hujus rei nulla sanè alia causa est, quam quod S. literæ nimis obscurè de hac D. Iesu gloria testantur, adeò ut immo Iudæorum hoc mysterium ex S. literis perfectè percipere potuerit. Nec mirū. Cùm, ut D. Petrus testatur: *Omnis Propheta scriptura non sit propriæ*

*proprii intellectus.* Videamus enim præcipua loca S. literarum, quibus resurrectionem Christi probant Apostoli, & mox apparebit, ita rem se habere, ut nos statuimus.

Loci sunt omnium præcipui, primus quidē: *Tu es meus filius, ego hodie genui te,* quem D. Paulus ad Christi resurrectionem apertissimè refert, dum sic ait: *Nos vobis annunciamus eā, quae ad Patres nostros promissio facta est, Quod hanc Deus adimplevit filiis eorum, nobis, resuscitato Iesu;* si-  
cūt & in secundo *Psalmo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hæc enim verba ad Christi ex mortuis resurrectionem referenda esse, hinc apparet, quod Paulus illis vult demonstrare; Deum adimpleuisse promissionem Patribus factam. Promissio autem illa erat de Rege dando: Christus verò Rex reip̄sā non fuit sanctus, quām cum in cælos ascen-  
dit, & sedem Patris sui Davidis occupavit, nempe dominium in pecu-  
liarem Dei populum. Obquam causam etiam dicitur, Deum tunc de-  
mum perfectissimo modo D. Iesum genuisse, & verba hæc: *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* impleta esse, quando D. Iesum glorificavit, ut fieret summus Sacerdos. *Quemadmodum etiam absq; dubio in ipso ty-  
po Christi, Davide scilicet, verba illa non de ejus nativitate intelligen-  
da sunt, sed de ejus ad Regnum promotione & evēctione.* Atq; ita hoc in loco, vocabulum Resuscitationis pro Resuscitatione ex mortuis; & porrò resuscitatiō ex mortuis pro omni illa potestate, quæ eam deinceps consecuta est, accipitur: ut etiam alibi fieri videmus, cum de fideli-  
bus sermo est, quod scilicet sub voce simplici resurrectionis, resurrec-  
tio ex mortuis, & sub voce resurrectionis ex mortuis, tota illa felicitas continetur, quæ eis promissa est in novo Eædere.

Quod ita probare necesse fuit, Quia nimis audaces quidam sunt Theologi, qui, cùm vident, se graviter premi his verbis in suis quibusdam opinionibus, affirmant, Paulum hoc in loco non loqui de resuscitatione Domini Iesu ex mortuis, sed tantum de suscitatione, quod scilicet in mundum natus fuerit, nisi his ratiunculis. Primū, quod non addita sint verba *ex mortuis.* vocabulum autem *fūscitandi* sāpē accipi pro productione in hanc vitam. Deinde, quod si de resurrectione ex mortuis intelligenda essent hæc verba, Apostolus idem bis probaret. Mox enim addit: *Quod autem resuscita verit eum ex mortuis, jam non re-  
versurum in corruptionē, ita dixit, &c.* Ad quæ nos brevissimè ita respon-  
demus. Primū, siquidem certum est, vocem suscitandi, vel græcum *ἀναστάνει*, sāpissimè pro resuscitatione ex mortuis accipi, idèo, nisi probetur, hic camita accipi non posse, frustrā omnino hoc objici-  
tur. Hic verò de resuscitatione ex mortuis, hæc verba accipienda es-  
se, hinc

*Psal. 2. 7.**Aet. 13. 32, 33.**Heb. 5. 5.**Ioh. 6. 54.**Phil. 3. 11.*

Franciscus In-  
nius.  
Theodorus Be-  
za.

*Ioh. 6. 39. 40, 44.**Aet. 2. 24, 32.**Col. 3. 26.**Col. 17. 31.*

se, hinc apparet, quod jam paulo ante mentio facta fuerat resuscitationis ex mortuis v: 30: *At Deus eum excitat ex mortuis;* & porrò in sequentibus verbis eorum facta fuerat mentio, quæ post Christi resurrectionem facta sunt, nempe: *Quod visus sit per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Hierusalem.* Post quæ omnia nimis fuisse præposterum, mentionem demum facere ipsius nativitatis, & in mundum productionis. Non necesse autem erat addere illa verba *ex mortuis*, cum jam ex præcedentibus, de quanam resuscitatione Apostolus loqueretur, constaret. Quod ad alteram rationem attinet, non considerarunt isti, licet alioquin magni viri, Paulum non probare in sequentibus verbis, quod Deus Christum resuscitaverit ex mortuis: sed, quod eum ita ex mortuis resuscitari, ut non sit reversurus ad corruptionem, ut ita resuscitatio ex mortuis Iesu Christi differat ab aliiorum hominum, qui etiam antea ex mortuis resuscitati fuerant, & tunc cum Christo ex mortuis resurrexerant, resuscitatione. Illi enim omnes ita resuscitati erant, ut iterum corruptionem viderint.

Act. 2. 27.

Nec obstat, quod D. Petrus hæc verba: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem,* quibus hic D. Paulus ad probandum illud, quod Iesus ita sit resuscitatus, ut corruptionem amplius non videat, utitur, ad ipsam Iesu Christi resurrectionem refert, & eam illis demonstrat. Potest enim in iisdem verbis latere duplex æquè nobilis sensus, & duplex ex illis argumentandi modus peti. D. Petrus probat his verbis, corpus Christi mortuum, conservatum fuisse a putredine: D. Paulus probat iisdem, resuscitatum Christi corpus conservatum fuisse a morte. Vterque planè divino modo. Tām enim est corruptio, corporis mortui putrefactio: quām corporis vivificati, denuò mortificatio. Sed ad rem. Probat igitur hoc loco Paulus Christi ex mortuis resuscitationē. *Quis* verò non videt, istum locum, si corticem & sensum priorem spectes, posse ad Davidem primū accommodari, qui tunc temporis genitus quodammodo a Deo fuit, cùm regnum, ad quod electus erat, & quo tamen per annos aliquot caruerat, reipsa consecutus est?

Psal. 16. 18.

Act. 2. 27.

Secundus locus est: *Non derelinques animam meam in inferno; nec das sanctū tuum videre corruptionem,* quo quidem etiam docet D. Petrus Christi ex mortuis resurrectionē. Sed si aliqua in his verbis agnoscatur, eaquæ tolerabilis, & S. literis admodum usitata figura, facile poterit statui, ea verba a Davide primo respectu dicta fuisse de spe sua, quā in Deo collocārat, qui se, deserturus non esset in extremo etiam mortis periculo constitutum. Non est enim novum per hujusmodi voces talia in S. literis significari.

Psal. 29. 4.

Eph. 85. 13.

Eph. 87. 4.

Dicet

Dicet aliquis. Quid verò vis ista tua ratiocinatione? Hoc scilicet, ut agnoscatur, certitudinē resurrectionis Iesu Christi principaliter aliunde pendere, quām ex testimoniois S. literarum veteris fæderis. Hoc autem, unde ea pendet, est testimonium Apostolorum, quod tanti momentū Deus esse voluit, ut ipsorum verbis & prædicatione, hoc miraculum omnium maximum, divulgaretur, & hominibus persuaderetur. Hos verò, ut fides eis adhiberi tutò possit, hujusmodi rebus exornatos & commendatos esse voluit, ut nemo, nisi mentis inops & improbus, de doctrina eorum dubitare posset. Nam, sicut in ipso Iesu testabantur, eum esse Christum, Spiritus, aqua, & sanguis: sic etiam eadem testabantur in Apostolis, eos vera loqui. Erat enim doctrinæ & vitæ ipsorum tanta puritas & innocentia, ut nemo omnium tam propè ad angelorum & Christi ipsius puritatem accesserit, atq; illi. Miraculorum verò tanta erat majestas, ut verè illud impletum sit in eis, quod Dominus dixerat: *Qui in me credit, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora his faciet, quia ego ad Patrem meum vado.* Deniq; tanta eorum in ferendo, omnis generis calamitates & afflictiones, patientia erat & constantia, ut etiam loco felicitatis haberent contumelias, verbera, carceres, mortem. Hi verò tot, tales, & tanti viri, Apostoli Iesu Christi, testati sunt, non tantum, Iesum resuscitatum esse ex mortuis: sed etiam se oculis suis vidisse eum ex morte resuscitatum, cum eo conversatos esse, comedisse, ac bibisse; & omnis generis gravissimas afflictiones, & mortem truculentissimam ferre maluerunt, quām negare illud, quod semel affirmârunt. Vnde alterutrum horum consequi necesse est: Apostolos scilicet, tot, tales, & tantos viros, scientes volentes, tot & tantas afflictiones, & ipsam mortem crudelissimam subire voluisse, propter hoc ipsum, ut obtinaret id, quod ipsimet falsissimum esse noverant: vel rem ita se prorsus habuisse, ut illi affirmabant, nempe Iesum ex mortuis resuscitatum fuisse, & illos eum resuscitatum oculis suis vidisse. *Quia* verò prius illud contra omnem rationem est, ideo, hoc posterius ut verum sit, necesse est.

Etcertè tot hominum myriades, inter quos plurimi fuere longè sapientissimi, nunquam tam facile credidissent Evangelio, quod eos omni carnali voluptate, commodis, & honore (quæ sunt hominum quasi anima) penitus spoliat, nisi certò comperissent, ducem illius ex mortuis resuscitatum, & eundem ab aliis conspectum fuisse. Nullus enim modus inveniri posse videtur, quo res tam mira, hominibus, tam a Christiana religione alienis, persuaderi potuerit, præter hunc, quod scilicet illi ipsi, qui hoc primi annunciant, oculis suis id viderint. Audita vel ab aliis visa, nunquam tantam vim habere potuissent.

male q' ea Phœnix  
IARUNI  
Christi resurrec-  
tio pender ex  
autoritate & te-  
stimonio Apo-  
stolorum.

Veritas testimo-  
niū Apostolorum.

Ioh. 14.18.

*Nullum sepi-  
nonum*

Quatenus ex S.  
literis Christi  
resurre<sup>o</sup> pro-  
bari possit.

Hoc fundamento jacto, credimus, in illis etiam testimoniis, quæ vi-  
demus ab Apostolis adducta esse ad demonstrandam Christi resuscita-  
tionem, contineri eam rem, quantumvis illa de aliis hominibus antea  
intelligi, & ad alia accommodari potuerint. Certo enim certius est ap-  
pud nos Christianos, Apostolos Iesu Christi hac in re errare nullo mo-  
do potuisse, nec porrò errasse. Sic scilicet, quia planè miraculosa &  
divina erat Iesu Christi resurrectio, singularissimo etiam & divino ejus  
certitudinem modo revelari hominibus Deus voluit.

Cujus virtute  
Christus resur-  
serit.

*A&T. 3. 13. 15.*  
*Eph. 1. 17. 19.*

*Rom. 4. 24.*  
*1 Cor. 15. 4.*  
*Gal. 1. 1.*  
*1 Thess. 1. 10.*

Cur Christus  
tertia die resur-  
serit ex mor-  
tuis.

*Ion. 2. 1.*  
*Mat. 12. 40.*

*Luc. 18. 33.*  
*1 Cor. 15. 4.*

Conciliatio re-  
pugnanciæ de  
die resurrectionis  
Christi.

Cui verò ista Christi ex mortuis resuscitatio tribui debeat, tan-  
quam causæ ejus efficienti, licet hodiè controvertatur: tamen adeò clara-  
rum & manifestum est, ut nulla probatione indigeat. Deus ille patrum  
populi Israëlitici, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, filium suum  
ex mortuis resuscitavit, & in eo, ut Deus Domini nostri Iesu Christi (ut  
Apostolus loquitur) exeruit ingentem & excellentem magnitudinem  
potentiae suæ divinæ. Ob quam causam etiam Apostolus, nomine ipso  
Dei omisso, hac eum paraphrasi interdum describit: *Iis qui Iesum ex mor-  
tuis resuscitavit.* Nec debent ullo modo, unus atq; alter locus S. litera-  
rum, qui contrarium affirmare videntur, in acie collocari adversus tantam  
multitudinem istorum locorum, qui disertissimè docent, Iesum a  
Deo Patre suo resuscitatum esse. Nam præterquam, quod tam pauci sunt  
numero, sunt etiam omnino figurati. Qui loquendi modi nunquam pos-  
sunt esse potentiores ad probandum aliquid, illis, qui omni figura ca-  
rent, & ipsissima sunt proprietas. Sed non est propositio nostri ea de re  
plura differere. Veritatem enim tantum docere, nobis nunc proposi-  
tam est: errores jam pridem a nostris sunt refutati.

Videtur autem considerandum & hoc, cur Iesum Christum Deus  
voluerit tertia die resurgere, & in Prophetarū etiam scriptis illud olim  
prænunciari. Licet enim aliqua videatur esse diversitas, inter ea, quæ de  
Iona leguntur, & quæ Dominus ipse alicubi affirmat, se tres dies & tres  
noctes in corde terræ futurum, quemadmodum Ionas tres dies & tres  
noctes in ventre ceti fuerat, & inter ea, quæ alibi ab ipso Christo, & D.  
Paulo dicta sunt, & quod vulgo in ore est omnium, quod Christus resu-  
scitatus fuerit tertia die: tamen ista differentia nulla reipsâ est. Nam  
certum est, vocabulum *diei* interdum significare diem naturalem, hoc  
est, spaciū 24 horarum: interdum partem diei pro die accipi per Sy-  
necdochēn, sive ea pars noctu contingat, sive interdiu. Hinc dicitur, ali-  
quid die quadam esse factum, quod tamen unā atq; alterā ejus diei horā  
fieri potuit. Quoniam igitur tempus illud, quod intercessit inter mor-  
tem & resurrectionem Christi, tres dies attigit, nempe primæ diurnas  
horas

horas aliquot, secundæ omnes horas nocturnas & diurnas, tertia rursus omnes ferè horas nocturnas, idèò rectè per figuram dici potest, Christum tres dies suisse in sepulchro; propriissimè autem, eum tertia die resurrexisse. Certè enim, si per omnes trium dierum horas, Dominus Iesus in sepulchro fuisset, dici non posset, eum tertia die resurrexisse: sed oporteret dicere, eum post tres, quarta die resurrexisse.

Cur verò Deus, nec citius nec tardius, Christum ex mortuis excitari voluerit, dicere volebamus. Cur non citius, causa esse videtur, ut hac ratione omnibus innotesceret, & certò cognosceretur, Iesu verè mortuum fuisse. Nam si vel minima suspicio fuisset, eum verè mortuum non fuisse, summa Dei gloria, quam ex resurrectione ejus quæsitus erat, obscurata fuisset. Possunt enim & homines, eum, qui ad tempus videbatur mortuus, reverâ autem mortuus non erat, resuscitare; vel etiam sponte sua tales resurgere solent: At verè mortuum nemo resuscitare potest, nisi Deus, & cui id a Deo concessum est, præsertim eo modo, ut deinceps nunquam iterum moriatur. Hac de causa voluit etiam Deus Iesum Christum jam mortuum lanceâ perfodi: hac de causa eum etiam sepeliri voluit. Nam si aliquid vitæ in Domini corpore superfuisset, illud omnino tunc, cum ita violenter perfoderetur, & deinde ex cruce, ab aliquot procul dubio hominib⁹, detractus, ab iisdem in aliud locum portaretur, quod sine ingenti motu corporis Christi fieri non potuit, apparuisset.

Tardiùs vicissim noluit Deus Christum resuscitari, ut, quantum ejus fieri poterat, Apostolos in primis & alios etiam discipulos Iesu Christi juvaret, ut tantò facilius crederent, ipsum D. Iesum verè, & neminem alium resuscitatum esse. Nam, si D. Iesus putrescere cœpisset, nihil quidem illud obstatisset Dei potentia. Tām enim Deus eum ex mortuis resuscitare potest, qui ante annos mille mortuus, & in nihilum redactus est, quām illum, qui ante unum horæ spatium mortuus est: At Apostolorū fidei plurimum id obstatisset. Facile enim, quæ eorum tunc erat infirmitas, credidissent, non illum Iesum, sed alium quempiam, ejus loco, resuscitatum esse, & ita, sibi imponi, suspicati fuissent. Huic tantæ infirmitati Apostolorum, ut Deus sapientissimus consuleret, voluit Christum tamdiu tantum in sepulchro esse, quandiu ibidem naturaliter cursu, a corruptione & putrefactione liber esse poterat. Nam procul omni dubio, potest humanum corpus ita servari, ne corrumpatur usque ad tertium diem. Hac etiam de causa, noluit Deus crura frangi Domino Iesu: quemadmodum olim etiam id figurabat agnus ille Paschalisch. Propter hanc denique causam, voluit Deus, ut Christus in eo-

Ioh. 19. 34, 40

Ioh. 19. 33. 36<sup>a</sup>Gen. 12. 46<sup>b</sup>

dem corpore, in quo mortuus fuerat, nempe carneo & osseō resurget. Tanta scilicet in rebus, quæ minimæ esse videntur, inest singularis quædam mirabilitas, ut omnia, quæ circa Dominum Iesum facta sunt, præstantissima & divinissima esse appareat.

Sed nunc finem perpendere necesse est, cuius causâ Deus Iesum Christum ex mortuis resuscitaverit. Is autem est, primùm respectu quidem Dei, Gloria illius. In hunc enim finem Deus Christum mori voluit, ut occasionem haberet exercendi summam suam sapientiam, summam bonitatem, summam potentiam, resuscitando eum ex mortuis. Nihil enim est, quod magis Dei istas qualitates exprimat, atque hoc, quod Deus Iesum mortuum, ex morte hoc modo liberare noverit, voluerit & potuerit. Per infamiam & mortem, aliquem deducere ad gloriam & vitam, divina & summa sapientia est: Hominum causâ, eum, qui innocens erat, morti tradere; & illorum causâ, cundem ex mortuis resuscitare, divina & summa bonitas est: Eum, qui esse desierat, vivum efficere, & ita viuum, ut nunquam iterum moriatur, nec, mori possit, divina & summa potentia est. De quo infrâ plura.

2. Deinde, finis etiam alter est, respectu nostri, Confirmatio fidei nostræ, ut scilicet nobis persuadere possimus, fieri posse, & certò futurum, ut homo, licet naturâ mortalis, & propter propagationem, quam ex Adamo, aeternæ morti propter commissum peccatum obnoxio, habet, morti etiam aeternæ obnoxius sit: tandem tamen, si Deo per Christum confidat & obediatur, ab hoc utroq; liberetur, & ex mortuo & jam non existente, vivus & iterum existens fiat. Hunc enim modum & medium quoddam Deus generale esse voluit, dandi hominibus mortalibus & mortuis vitam aeternam.

Quod autem quidam, nempe illi, qui in adventu Christi ex fideli bus vivi reperientur, non hoc modo & medio vitam aeternam illam consequentur, hoc singulare quiddam est. Et tamen illis loco resurrectionis erit immutatio illorum: quemadmodum iis, qui ante adventum Christi moriuntur, loco immutationis, erit resurrectio. Non enim mutabuntur illi, qui resurgent, ut hi, quos vivos Christus offendet: sed resurgent incorruptibles, (ut ait Apostolus) hoc est, tales, quales in omnem temporum aeternitatem futuri sunt. Non sicut tunc ex mortalibus immortales, sed ex non existentibus, existentes: quemadmodum hi rursus, quos vivos D. Christus offendet, non existent ex non existentibus: sed ex mortalibus existentibus, sicut immortales. Et licet difficile admodum sit, credere, hominem, qui mortalis est, ita immutari posse, ut fiat in uno ictu oculi imortalis: tamen multò difficilius est, cre-

**E**cst credere, eum, qui esse desiit, iterum extiturum, & extiturum loco mortalis, qualis antea fuerat, immortalem, præsertim si consideretur, quanta temporis intervalla elapsa sint, ab eo, quo mortui sunt illi, quorum resurrectio speratur; & præterea, quām variis modis corpora ipsorum immutata, & in mille formas redacta sint, & redigi etiamnūm possint. Huic igitur rei, ut consuleret sapientissimus Deus, voluit Iesum Christum ex omnibus mortuis primum resurgere, & hac ratione ad regnum illud, quod nunc tenet, pervenire. Et quia maxima ratio habendafuit Apostolorum, voluit Deus illorum causā, non tantū Dilectum resuscitari, & vivū se exhibere: verū etiam in eodem planè corpore, in quo mortuus fuerat, resurgere, cū illis comedere & bibere, & per dies satis multos conversari, ut scilicet satis superq; cognoscerent, verissimē Iesum ex mortuis surrexisse, & fieri proinde posse, ut alii etiam, licet mortales sint, resurgent. Reliqui enim homines infideles indigni erant, qui tanto beneficio fruerentur, nempe ut Dominum Iesum ex morte redivivum viderent, quia scilicet eum antea nimis superciliosè spreverant. Hinc Dominus Iesus ait, Spiritum Sanctum arguturum mundum etiam de justitia, hoc est, demonstratarum hominibus, justè Deum hac in re progressum esse, quod Christus ad Patrem iverit, hoc est, in cælos ascenderit, & ita a nemine amplius conspectus sit.

Iam quis ex his omnibus non videt, quanta hujus rei, quæ aditum tantū præbuit Domino Iesu ad regnum ipsius, sit præstantia, quanta divinitas. Summa Dei gloria in eo apparuit: Fidei etiam hominum singulare fulcrum extitit. O divinum igitur Iesum Christum, Dominum nostrum, cuius resurrectio tantarum rerum causa fuit.

## C A P . X I V .

*De Christi ascensione in cælos.*

**A**dhuc de primo eorum locuti sumus, quæ Christi regnum antecesserunt, & quibus quasi gradibus Christus ad regnum suum ascendit: Nunc ad alterum venimus, quod diximus esse, ejus ad cælos ascensionem. Christum vero in cælos ascendisse, quia expressè descriptum est a sacris Evangeliorum scriptoribus, nihil amplius hic investigandum restat, quām quid causæ fuerit, cur Deus voluerit Iesum Christum in cælos ascendere, atque ita in regnum suum ingredi? Cujus rei causæ possunt dari duplices: & aliae quidem ad nos spectant: aliae ad ipsum Iesum Christum.

Cur solis Apostolis & discipulis, Christus post resurrectionem exhibitus fuetit.

*Job. 16.16.*

*Mar. 16.19.*  
*Luc. 24.51.*  
*Act. 1.9.*

Causæ ascensio-  
nis Christi du-  
plices.  
Respectu nostri 1.  
a. Petr. 3. 10,  
12, 13.

Cur locus beatitatis fidelium,  
cælum & terra  
appelletur.

Cur novum cæ-  
lum & nova ter-  
ra idem locus ap-  
pelletur.

Heb. 2. 5.

Matt. 5. 12.

E. Thes. 4. 16, 17.

Eæ quæ ad nos spectant causæ, duæ sunt: Prior est, ut sciâmus, ubi nâm nobis parata sit nostra felicitas. Siquidem certum est, hoc cælum & hanc terram destructum iri, quemadmodum hac dere apertissimè dissevit D. Petrus. Est igitur novum cælum, & nova terra, iste scilicet locus, in quo Deus & justitia, hoc est, salus nostra, habitat: hunc nos expectamus: illuc animos nostros convertimus, & ibi tandem nos perpetua beatitate unâ cum Deo fructuros credimus & gaudemus. Novum autem cælum & nova terra, per modum quandam loquendi, appellatur ille locus, in quo nostra felicitas, & ipse Deus noster habitat. Cælum & terra quidem, quia etiam in futuro seculo habituri sumus locum, ubi degamus, & ea omnia, quæ ad sustentationem vitæ nostræ tunc pertinēbunt: quemadmodum nunc locum habemus, ubi degimus, nempe sub hoc cælo, & in hac terra, & ex illis omnia, quæ ad sustentationem hujus vitæ pertinent. Novum autem cælum & nova terra appellatur, non ratione ejus, quod nunc non sit, & olim demum futurus sit iste locus. jam enim in eo habitat justitia, & ipse Deus: sed quia novus tunc temporis futurus est nobis, qui illum nunquam vidimus: quemadmodum etiam idem locus beatitatis futurae appellatur *ān̄s̄m̄ēv̄n̄*, vel habitata futura, cum tamen certum sit, Deum ab æterno ibi habitare; & Iesum Christum a multis retrò seculis eō translatum esse, nempe ideo, quia nobis futura est. Hinc etiam in S. literis sapientissimè, immo perpetuò abducimur ab hac terra, & revocamur ad illum locum sanctissimum, ad cælos nimirum, quoties nobis nostra spes proponitur: *Magna est*, ait Dominus, *merces vestra in cælis*. Hinc deniq; quotidie oramus, *Pater noster qui es in cælis*, ut scilicet locum illum, in quo Deus est, & in quem Christus ascendit, jugiter ob oculos nobis ponamus, & subinde ipsi moneamur, illuc nobis contendendum esse ab hac humilitate.

Posterior ratio est, ut sciamus, quânam ratione fieri possit, ut homo, qui naturâ mortalis & crassus est, aliquando in istam sublimitatem transferatur, in qua Deus summus omnium rerum opifex, & Iesus Christus, nunc degunt. Nempe, quemadmodum Deus curavit, ut Dominus Iesus, nube circundatus in cælum raperetur, & ita ad ipsum Deum perveniret: sic etiam curaturum eundem Deum, vel potius ipsum Iesum, ut etiam illi, qui ejus sunt, tandem ex hac mundi corruptione in illam sublimitatem transferantur. *Ipse enim Dominus*, ut Apostolus ait, *descendet de celo, cum clamore, & voce Archangeli, & cum tuba Dei, & mortui in Christo resurgent primùm*. Deinde nos, qui vivi supererimus, unâ cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domino in aërem, & ita semper erimus cum Domino. Ita scilicet Deus nobis viam recentem & patente

patentem ad oculum quasi demonstravit, ut sciremus, quibus etiam gradibus nos tandem simus perventuri ad vitam illam æternam. O divinam Iesu Christi ascensionem: o divinum ipsum Iesum Christum, qui ascendit ad cælos.

Causæ verò, quæ ad ipsum Dominum Iesum spectant, duæ etiam considerari possunt. Prior est, ut per istam suam ascensionem divino modo immortalis & gloriosus evaderet, nempe ut non tantum non moreretur, sed etiam ut mori amplius non posset, Quandiu enim in terris fuit D. Iesus, licet fieri nullo modo posset, ut iterum moreretur: (sic enim Deus constituerat) tamen natura corporis ejus nondum erat, ut is mori non posset; & ita planè gloriosum corpus nondum habuit. Quantum verò differant ea inter se, certò destinatum esse a Deo immortalitati: & talem naturâ esse, qui mori non possit, docet exemplum eorum fidelium, qui vivi erunt in adventu Christi. De illis enim dici poterit, quod Deus nolit eos mori: & tamen dici non poterit, eos tales esse, qui naturâ sint immortales.

Christum verò antequam in cælos ascendit, nondum habuisse corpus gloriosum, eo modo, quo nunc gloriosum est, præter id, quod supera ostendimus, necessarium hoc fuisse, ad fidem Apostolorum & aliorum Christi discipulorum confirmandam, ex eo præterea constat, quod Christus ex mortuis resuscitatus, reverâ edit & babit cum Apostolis: quod vulnera exhibuit: quod carnem & ossa habuit. Quæ omnia de corpore gloriose dicere tam absurdum est, quam de ipso Deo.

Graviter autem reprehendendi sunt illi, qui dicunt, Iesum Christum non verè comedisse post suam ex mortuis resurrectionem, ut potest qui ita, D. Iesum tantum non imposuisse Apostolis affirmare audeant, & D. Petrum, id, quod sibi tantum esse videbatur, pro reipsa apud Cornelium venditasse, dicere cogantur, dum ait: *Nobis* (scilicet Apostolis) manifestum Deus fecit filium suum, *testibus a Deo præordinatis*, qui cum eo comedimus & bibimus, postquam ex mortuis resuscitatus fuit.

Isti verò ridendi sunt, qui ex eo colligunt, corporis Christi, quandiu in terris degebat, glorificationem, quod clausis foribus ad discipulos ingressus sit, quasi scilicet per parietes penetrârit. Nonné enim poterant esse fores clausæ, & miraculosè aperiri, quemadmodum legitimus portam urbis ultrò apertam fuisse Petro Apostolo? nonné oculi Apostolorum teneri poterant, ne illud viderent? Quanquam his omnibus nullo modo opus fuit. Nec enim ibi describitur modus, quo Dominus ad discipulos ingressus sit: sed tempus tantum, quando ad eos ingressus sit. Hoc autem erat, cùm essent clausæ fores domus illius,

Respectu Chri-  
stii.

Christus non ha-  
buit corpus glo-  
riosum, quandum  
in terris degit.

Act. 10. 40, 41.  
Luc. 24. 39. 40.

Act. 20. 19.

Act. 12. 18.

illius, in qua congregati erant Apostoli, ita ut, etiam si Christus fores clausas aperuisset, & ita per apertas intrasset: dici tamen possit, eum venisse aut ingressum fuisse foribus clausis; ita ut mirari aliquis possit, quanta sit hominum, alioqui eruditorum, in hac parte ruditas, dum istud ita vehementer urgent, ut ita, quo cunque modo, quod semel animo conceperunt, dogma tueantur. Quoniam igitur Iesus Christus, quandiu in terris fuit, corpus habuit nondum gloriosum, sed illud idem, in quo crucifixus fuerat, ideo necesse fuit, eum in caelos ascendere, & ita per istam ascensionem gloriosum illud corpus consequi. Quod eum nunc habere testatur plurimis verbis D. Paulus, dum inter alia ait: *Postremus Adam (qui est Iesus Christus) factus est in spiritum vivificantem*, hoc est, consecutus est spirituale corpus, quod seipsum vivificare in perpetuum possit. Christum autem talem spiritum tunc demum factum esse, cum in caelos ascendit, inde appetet, quod Dominus ipse, post suam etiam resurrectionem, negat se esse spiritum: & quod, quem D. Paulus semel appellarat spiritum vivificantem, eundem iterum appellat Dominum. Christus vero tunc demum Dominus re ipsa & perfecte factus est, cum eum Deus ex mortuis resuscitavit, & ad regnum illud celeste transstulit. Præterea dicit Apostolus ibidem, eum ex caelo, scilicet esse, vel corpus habere: quemadmodum in antithesi dixerat, primum hominem de terra, terrenum, scilicet fuisse, vel terrenum habuisse corpus. Quemadmodum vero corporis terrenum, est corpus nondum glorificatum: sic corpus ex caelo, corpus est glorificatum. Corpus vero quod nunc Christus habet, ex caelo est: quemadmodum etiam corpus illud, quo olim induentur fideles, habitatio illorum, quæ de caelis (est) appellatur. Nam quod olim, cum in terris esset, habuit, licet miraculo modo conceptum & natum esset: tamen omnino humandum erat, & corpori humano simillimum, & ex ipsa Mariae virginis substantia, aliqua ex parte desumptum, nisi forte Menponitis (quos vocant) credere velimus, qui dicunt, Christum carnem suam de caelo attulisse, quos audimus, hoc etiam loco ad suam opinionem probandam abuti. Vnde etiam quedam exemplaria in loco, de quo agimus, habent: *Secundushomo, Dominus caelstis*. Quod quidem vocabulum, *caelstis*, non ad virtutes caelestes; (hac enim ratione Christus caelstis appellari poterat etiam antequam moreretur) sed ad naturam referendum est: quemadmodum etiam voces opposita, *de terra terrenus*, non ad vitia morum humanorum referenda sunt, sed ad ejus naturam: & ideo Apostolus ait, nos, sicut portavimus (nempe dum in hoc seculo vivimus) imaginem terreni, hoc est, ita mortales fuimus, ut olim Adam: sicut etiam portatu-

*1. Cor. 15. 45.*  
Quale corpus  
Christus nunc  
habeat.

*Luc. 24. 39.*

*1. Cor. 15. 47.*

*Act. 2. 36.*

*a. Cor. 5. 2.*

portaturos nos imaginem cælestis, hoc est, ita immortales futuros, ut nunc Dominus Iesus immortalis est, & glorus, idq; generali quadam sententia & mysterio concludit Apostolus, dum ait: *Hoc dico, fratres, caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Vbi, per carnem & sanguinem, naturalem infirmitatem intelligi posse, non verò vitia & peccata, ut quidam volunt, id ostendit primum, quod Christus etiam carnem & sanguinem participavit: & tamen est blasphemum dicere, eum vitiis fuisse pollutum. Deinde docet id totius capitum summa, in quo Paulus tantum loquitur de resurrectione piorum. *Quod inter alia, exemplum Christi, toties repetitum, docere potest.* Quid enim impios consoletur exemplum resurrectionis Iesu Christi? Deniq; verba sequentia, quæ horum sunt quasi ἐφηνοις, satis apertè indicant, quid per carnem & sanguinem Paulus intelligat, dum ait: *neq; corruptibilitas hereditabit incorruptibilitatem.* Corruptio autem significat non hominum vitia, sed eorum naturalem imperfectionem & mortalitatem, cui etiam Dominum Iesum obnoxium fuisse, hinc colligi potest, quod non dedit, hoc est, non permisit Deus, ut eam videret, hoc est, experiretur.

Est autem notandum, fideles Christo similes futuros, non in eo, qualis fuit, dum adhuc in terris degeret, post resurrectionem licet: sed in eo, qualis nunc est, posteaquam in cælos ascendit. Nec enim ullæ erit causa, cur nos ex mortuis resuscitati, corpora talia habeamus, qualia antea habebamus, cùm adhuc in hac vita mortali degeremus: quemadmodum causa erat, cur Christus ex mortuis resuscitatus, corpus illud haberet, quod antea habuerat, quām moreretur. Nam qui resurgent ex mortuis, resurgent incorruptibles; idq; pro mysterio Apostolus venditat. Atqui mysterium singulare nullum hoc esset, si Christus incorruptibilis resurrexisset. Ex eo enim sequeretur, omnes Christianos, similiiter, ut ipsum Christum, isto modo resurrecturos.

Nec est, quod quis curiosè, & parum religiosè objiciat, nihil extare scriptum de modo istius immutationis Christi, quod scilicet nunc aliud corpus habeat, quām tunc habuit, cùm in terris esset. Omnipotens enim fatebuntur etiam omnes, quicunq; nunc Christum idem corpus habere putant, quod tunc, cùm in terris degeret, habuit, eum nunc non habere ea, quibus tunc, cùm in cælum ascendebat, induitus erat: & tamen nesciunt, quomodo illa consumpta, vel quoniam delata sint. Fatebuntur etiam omnes, quod majus est, eos, qui in Christi adventu vivi superfueri sunt, mutatum iri: & tamen, quomodo illud ipsum, quod ex ipsis sententia mutabitur, mutandum sit, ostendere nullo modo possunt. Desinat igitur in hujusmodi rebus in modos inquirere, quibus

*Heb. 2.14.*  
Quid sit caro, &  
sanguis.

Christiani Chri-  
sto similes erunt,  
in eo qualis nunc  
est secundum na-  
turam.

*1. Cor. 15.52.*

Refutatio objec-  
tionis de modo  
immutationis  
corporis Christi.

Deus unus est; & quos, ut ignoraremus, eum non sine causa voluisse, statuendum est: Discant autem acquiescere in testimoniiis literarum S. manifestis, quæ testantur de differentia corporis Iesu Christi, quod in terris degens habuit, & quod nunc habet. Illud testantur, carnem, osfa & vulnera habuisse, comedisse ac bibisse: Hoc verò, quod nunc habet, testantur esse Spirituale & cælestis. Itaq; rei veritas non est metienda ex quibusdam circumstantiis, quæ abesse possint: sed satis esse debet, si sit evidens causa, cur ea pro vera habenda sit, qualis est, si literæ S. id testentur. Tunc enim (ut etiam suprà docuimus) omnino conticescendum est, & veritati cedendum, etiam si modus reigistæ, & aliæ circumstantiæ planè ignorentur.

*II.  
Causa respectu  
Christi.*

*Heb. 8.4.*

Altera causa, quæ ad ipsum Christum pertinet, quare opus fuerit eum in cælos ascendere, est, quia, si hic in terris mansisset, non potuisset illud, cuius causâ olim de cælo venerat, implere & perficere. Venerat Christus de cælo, & necesse erat eum de cælo venisse, ut nobis salutem æternam annunciatet, & eam nobis firmissimè confirmaret. Hoc facto, restabat, ut eandem salutem procuraret, & tandem eandem credentibus daret. Hoc enim utrumq; se facturum, Christus docuerat & promiserat. Quomodo verò salutem procurare, & eandem credentibus dare potuisset Dominus Iesus, nisi incælos ascendisset? Nam ad procurationem salutis nostræ, necesse fuit, ut eo in loco resideret, unde omnibus fidelibus prospicere posset. Talis autem locus est cælum. Alioquin, si in terris mansisset, Pontifex noster non esset. Necesse etiam fuit, ut rerum & donorum cælestium, quibus ad salutem hominum procurandum opus est, potestatem haberet, nempe Angelorum, & spiritus S., ita, ut illos mittere quò velit, & hunc dare, cui velit, posset. Hocverò totum, ut ab eo perficeretur, qui non in terra, sed in cælo habitaret, conveniens esse, docet ipsius Dei exemplum. Is enim solus, quia in cælis habitat, omnibus etiam sufficienter prospicere potest.

Ad dationem porrò reipùsalutis necesse fuit, Iesu Christo dari divinam & absolutam potestatem, in omnia quæ sunt in cælo, & in terra. Hanc autem Christo priùs dari a Deo visum non est, quām in cælos ascenderet. Iam jam enim ascensurus Christus in cælum, dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Apostolus verò ait: *Exaltatus dexterâ Dei (Christus) accepit promissionem Patris spiritum sanctum.* Et alibi: *Profectus in cælū, subiecit sibi angelos & dominationes, &c.* Vidimus igitur tandem, quām divino planè modo Deus Iesum Christum ad istud divinum regnum evexerit, & quām divinis ad id D. Iesus gradibus pervenerit. Divinum igitur Iesum Christum prædicamus esse, cui soli & primo ista tanta evenerunt.

*Matth. 28.19.*

*Act. 2.33.*

*2. Petr. 3.22.*

## C A P: X V.

## De Regno Christi moderno.

**I**Am verò superatis illis, quæ sermonem de regno Christi habendum interruperant, rectâ ferimur ad id, quod jam dudum propositum nobis erat, & orationem nostram ad ipsum Iesum Christi regnum convertimus. Hic autem optârim mihi divinitus concedi eam sapientiam: hic oculos mentis meæ ita illustrari cupio: hic calatum meum ab ipso Domino Iesu, cuius gloria hic agitur, ita duci desidero, ut aliquid saltem, de ista tanta Domini Iesu Christi divinitate, quam nunc, posteaquam Rex populi divini, & Christus reipsâ evasit, consecutus est, pronunciare possum. Nam omnia, quæ ad hanc rem pertinent, nec humana, nec Angelica vox effari valet. Dabit tandem Deus, ut liberati ab hac nostra mortalitate, similes evadamus ipsi Deo, & eum facie ad faciem videamus: tunc eum videbimus, sicut est; tunc cognoscemus eum, ut ipse nos cognovit. Nunc rem aggressuri, dicendum nobis erit de certis quibusdam partibus, quarum prima est: An Christus nunc regnum habeat. Secunda: quâm latè pateat regnum Christi. Ultima erit de complemento regni Iesu Christi.

Quod ad primam attinet, dolendum quidem est, homines quosdam cò prolapsos esse impietatis, ut hac de re opus sit hodiè quicquam disserere. Sed quid facias illis? Diaboli scilicet invidiâ totum hoc fit, qui tantum non rumpitur, quòd Iesus, qui olim mortalis fuit, non tantumjam immortalis, & dominus omnium, quæ sunt in cælo & in terra, evasit: sed etiam tandem omnes in se credentes, qui nunc & quæ mortales sunt, ut ipse Iesus olim fuit, ad eandem beatitatem perducturus, & ipsos diabolos in æternum damnaturus est. Itaque necesse est, ut illi, quibus Christi gloria cordi est, cum hoste Regis sui divini jurato perpetuò conflagant, & ejus tantam impudentiam detegant. Videtur autem, hoc in primis modo, diabolus insidias struere regno Domini Iesu, dum scilicet tales excitat, qui non dubitant affirmare, Dominum Iesum nunc planè esse otiosum in cælis; & res humanas, vel salutem hominum non aliter curare, quâm Moses curat salutem Iudeorum. Qui quidem homines professione videri volunt Christiani: interim verò Christum abnegârunt, & spiritu Iudaico, qui semper Christo fuit inimicissimus, inflati sunt; & si quis jure cum eis agere velit, indigni planè sunt, qui inter Christianos numerentur, quantumvis oretenus Christum profiteantur, & multa de eo garriant, adeò, ut multò tolerabilior sit error illorum, qui Christum pro illo uno Deo habent & colunt, quâm isto-

Christi regia  
potentia inef-  
fabilis.

*1. Joh. 3. 21.*

*1. Cor. 13. 12.*

Quid in regno  
Christi confide-  
randum.

Perversitas & im-  
pietas eorum, qui  
negant Christi  
regnum moder-  
num.

rum: & præstet, ex duobus malis, minus, quod ajunt, eligendo, Trinitarium, quām hujusmodi blasphemum esse. Hic enim Christo honorem divinum nullum tribuit: ille tantum, in modo tribuendi ei honorem, errat.

Nolumus autem nunc tempus inaniter perdere, blasphemias istorum hominum cavillationes, quibus Christo detrahere conantur, recensendo, & ad earespondendo. Hoc enim a nostris jam pridem, libris publicè editis, præstitum est. Vnum tantum atq[ue] alterum locum sacrarum literarum adducemus, quorum tanta est perspicuitas, ut nemo probæ mentis negare possit, contineri in illis, Iesum nunc regnum divinum habere. Sic igitur ait D. Petrus: *Pro certo sciat tota domus Israëlis;*, quod Dominum & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis, & ipse Dominus ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Hinc validissimè inferimus, Dominum Iesum nunc regnum divinum habere. Quomodo enim Dominus & Rex esset, si regnum non haberet, & ea, quæ ad regnum suum pertinent, non procuraret? Potestne is Dominus appellari, qui nihil agit? Legiturne, Moïsen unquam appellatum fuisse Dominum, post mortem? Soli Domino Iesu hoc Deus concessit, ut post mortem appelletur Dominus, quod nulli Prophatarum & Apostolorum ideo contigit, quia omnes tantum servi fuere populi alieni, nempe Divini: Solus servator noster Iesus, Dominus est populi istius divini, tanquam sui. Dationem verò illam potentia in cælo & in terra accipiendam esse, de datione, quæ re ipsa contigit Domino, posteaquam in cælos ascendit, hinc appareat, quod istam dationem potentia in cælo & in terra, causam esse Christus ait, cur Apostoli in universum mundum ire debebant, & discipulos facere. Hoc verò factum est ab eo tempore, quo Christus in cælos ascendit. Ergo etiam illud extitisse necesse est, quod causa hujus effecti erat. Nam, absq[ue] potentia Iesu Christi divina, nemo discipulus ejus eo modo fieri potuit, quo eum esse Christus voluit, nempe, ut Christo consideret, divino cum honore afficeret, & eidem obediret. Aut igitur affirmandum est, Apostolos neminem docuisse, & Christi discipulum fecisse; vel potius neminem hodie discipulum Christi esse, quod est falsissimum: (nisi hoc isti blasphemi de se verum esse fateantur, a quo non procul etiam absunt) aut concedendum est, Christum nunc omnem potestatem in cælo & in terra re ipsa habere.

Solent quidem pleriq[ue] eorum, qui ista blasphema opinione dementiati sunt, aliquid aliud habere, quod Christo concedere videntur, loco regni istius, quod nunc habet, nempe quod ajunt, cum aliquando regnaturum

*Argumenta pro  
Christi regno  
moderno.*

*Act. 2. 36.*

*Matth. 28. 19.*

*Objectionis so-  
lutiō,*

gnaturum, non in cælo quidem, sed in terra, idq; mille annos, abusi ad hoc suum commentum, istis verbis Apocal. cap. 20. Egregiam verò laudem Christo isti tribuunt, qui pro regno divino & cælesti, humanum & terrestre: pro æterno, tantilli temporis regnum ei concedunt. Digni scilicet, qui careant isto regno Christi, quod aspernantur: in hoc verò suo commentitio, cū porcis, in luto voluptatum carnalium, voluntentur

Quod autem locum Apoc. 20. adducunt, id nihil eos juvare potest: pudefacere autem maximè, si modò erubescere nôrunt. Nam primum non dicitur ibi de Iesu Christo, quod incepturnus sit aliquod regnum, quod antea non habuerit: Sed tantum dicitur de credentibus, quod regnaturi sint cum Christo mille annos. Imò, si quis rem rectè consideret, apparebit ex isto loco, Iesum Christum semper regnasse, ab eo tempore, quo in cælum ascendit: credentes autem vel nunquam, vel non semper regnasse, futurum autem, ut cum Christo regnent, qui scilicet semper regnârit. Deinde, non exprimitur ibi locus, ubi regnum illud futurum sit, nempe terra, ut isti blasphemoi somniant. Possunt autem regnare credentes cum Iesu Christo, etiam si Christus non descendat de cælo, si scilicet Christus regnet in cælo & in terra: credentes verò in terra tantum. Deniq; in isto loco tantum de illis affirmatur, quod cum Christo regnaturi sint, qui decollati sunt propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neq; imaginem ejus, neq; acceperunt characterem in frontibus, aut in manibus. Atqui non omnes Christi fideles, propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei securi percussi sunt; neq; omnes occasionem habuerunt non adorandi bestiam, & non accipiendi characterem ejus, vel quia antea vixerint, quām bestia illa & imago ejus existiceret; vel quia non ibi locorum degerint, ubi bestia, & imago ejus vigebat. Non adorare autem, & nō accipere characterem, est, nolle adorare, nolle accipere. Alioquin nec virtuti nec prēmio locus esset nullus. Itaq; regnum illud Christi non omnibus credentibus in Christum communione esset, quod esset longè absurdissimum.

Quod si quis interroget, quid sit illud, de quo Iohannes loquitur? Huic nos respondemus, non necesse esse, ut hodie ea intelligantur, quæ ibi descripta sunt. Prophetiarum enim ea est proprietas, ut non priùs intelligantur, quām eveniant: Sed tamen, si conjectari licet, & in re abstrusa divinare; vel potius, quia credimus, istud jam cœpisse impleari, verisimile videtur, Iohannem in isto loco describere statum felicem & quietum Ecclesiæ Iesu Christi, quo sit fruitura post istam tam longam servitutem, quā ab Antichristo pressa fuerat, quod nunc ex parte

Apoc. 20. nihil  
dici de carnali  
Christi regno.

v 4.

Quis sensus sit  
loci Apoc. 20.

fit, & Deo hanc rem moderante, in dies magis magisq; fiet. Quæ nostra sententia, si cui non probatur, satis est, quod nec absurdæ, nec per se falsæ, nec pernicioſa sit. Quod dum theologus in locis difficultibus explicandis observat, ſatis officio ſuo facit. Certum igitur eſt, Iesum Chriſtum, quemadmodum ab eo temporis punc̄to, quo in cælum ascen-dit, regnare reipsā cāpit: ſic nunc etiam reipsā regnare, & regnatūrum perpetuō.

## C A P: XVI.

## De Regno Christi super Angelos.

Latitudo regni  
Christi.

**Q**uam latè verò pateat regnum Iesu Christi divinissimum, vī-detur his verbis ipsius Christi totum contineri: *Data eſt mihi omnis potestas, in cælo & in terra.* In his enim, præter id, quod exprimitur, potestatem Christi, quantacunq; ſit, non eſſe in eo naturalem, ſed beneficio Dei Patris singulari ei contigisse, & donatam eſſe, ſatis ſufficienter docetur, qualis & quanta Iesu Christi potestas ſit. Primùm enim loci nominantur, in quibus illud Regnum Christi exerceatur. Deinde perfectio etiam iſti us rectionis innuitur. Locū, in quibus Christi regnum exercetur, ſunt, *cælum & terra.* Perfectio regnationis continentur hoc verbo *omnis potestas.* Per voces *cæli & terræ*, intelligi debet, nō tātūm id omne, quod Deus creavit, adeò ut etiam mare, & omnia, quæ in eo ſunt, huc pertineant, quæ, ut aliquid cum terra coniunctum, conſiderantur, quandocunq; per cælum & terram tota creaturarum divinarum aspectabilium machina ſignificatur: Verūm etiam, præter hæc creatæ omnia, per vocabulum *cæli* intelligi potest illud ipsum cælum, vel illi ipſi cæli, qui non ſunt creati, nec oculis ſubiecti, in quibus ſcilicet Deus Pater noster eſſe dicitur ab omni aeternitate. Certum enim eſt, Christum habere potestatem in omnes Angelos, ut mox demonstrabimus. Hos verò extitisse, antequam cælum hoc aspectabile crearetur, non minus certum eſt; & non tantūm extitisse, verūm etiam jam bonam eorum partem lapsam, & dignitate ſua privata muiſſe, hoc inter alia docet, quod, ſimul atq; Adam & Eva creati fuere, præſtò adſuit Diabolus, qui eos ſeduxit. Tām igitur latè patet regnum Christi, quam latè patent omnes cæli, & omnis terra; & nihil eſt omnium, in omnibus cælis, & in omni terra, cuius potestatem, & quidem abſolutam atq; perfectam non habeat Iesu Christus.

Hoc igitur tām alto & profundo Iesu Christi potentia divinæ marí, vel

ri, vel potius oceano proposito & ostenso, in fluvio ex eo promanante, vadum aliquod tantum invenire conabimur, per quod tutò transire possimus. Nec enim nos audemus, nec quisquam mortalium audere potest, in istam sese profunditatem potentiae Christi divinæ immittere.

Differens Dominus Iesu de hac sua potestate regia & divina, ait: *Pater diligit filium, & omnia ei ostendit, quæ ipse facit, & maiora his opera ei ostendet, ut vos mirermini.* Verè iam hoc experimur, ita se habere. Audimus de Iesu Christi potentia multa: sed ea nec lingua eloqui, nec mente assequi possumus: tantum ea miramur, & obstupecscimus super hoc tanto Dei facto.

Mirantes igitur & obstupecentes, ad considerationem divinæ Christi potentiae accedimus, & primum omnium statuimus, omnia ista, quæ sunt in cælo & in terra, duplici modo consideranda esse. Quædam enim eorum personæ sunt: quædam verò personæ non sunt, sed tantum res.

Ea quæ in cælis, & personæ sunt, sunt Angeli, si que tam boni, quam mali. Quæ in cælis sunt, & personæ non sunt, omnia illa continent, quæcunque extra Angelos vel sunt, vel etiam esse possunt.

Quod ad Angelos attinet bonos & sanctos, eos subditos esse Dominum Iesu, nullum est dubium apud eos, qui Christi nomen proficiuntur. (cum his autem nunc rem habemus, & hos hac nostra oratione alloquimur) Sic enim testantur S. literæ: *Deus Christum super exaltavit, & donavit ei nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium &c.* Et ut omnis lingua confiteatur quod Dominus (sicut) Iesus Christus ad gloriam Dei Patris, & alibi: *Christus est in dextris Dei, profectus in cælum, subjectus Angelis, & potestatibus, & virtutibus, & iterum: In (Christo)creata sunt omnia, ea quæ in cælis & ea quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per illum & in illum creatas sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in eo constant, & iterum: cum iterum introducit primogenitum in illum mundum, dixit: (Deus) & adorent eum omnes Angeli Dei.* In quibusdam enim horum testimoniorum expressæ id affirmatur: in aliis verò id etiam contineri, nemo omnium negabit.

Petrus quidem aperte ait, subditos esse Iesu Christo Angelos, & potestates, & virtutes. Quod verò eum adorent, vel genua in nomine ejus flecant Angelii, hoc tantum etiam non expressè affirmat, eos illi esse subditos: nimis autem certò id in se continet. Quem enim quis colit, & quem metuit, quomodo ei subjectus non sit? Hoc verò per genuum flexionem vel adorationem intelliigi, hodie nemo ferè est, qui nesciat,

Ioh. 5. 28

Distinctio rerum  
quæ sunt in cælo.Angelos Christi  
subditos esse.

Phil. 2. 9.

1. Petr. 3. 22.

Col. 1. 16. 17.

Heb. 1. 6.

cùm nemo sit, qui, Angelos genua habere, & ea, propriè loquendo, fletere, dicere audeat. Quòd verò ad id attinet, quòd per Christum crea-ta sint omnia, quæ in cælo, sunt invisibilia, sive throni, sive domina-tiones, &c. in eo etiam contineri id, quòd Angeli ei subditæ sint, nec is etiam, qui credit, hîc de creatione ipsorum Angelorum sermonem esse, negare potest. Quomodo enim non sint subditæ creaturæ crea-to-ri? Sed præterea hoc in loco, non de creatione ipsorum Angelorum, sermonem esse: sed tantùm de Christi dominio, quod in eos habet, probari potest ex hoc ipso loco. Constat enim primùm, hic non esse sermo-nem de ipsorum Angelorum substantia, sed tantùm de thronis, domi-nationibus, principatibus, & potestatibus, quæ omnia creata esse dicit Apostolus per Iesum Christum. Potuerunt autem a Christo creari istæ dignitates Angelorum, licet ipsi Angeli creati per eum non sint. Imò necesse est quodammodo. Si per Christum creatæ sunt dignitates Ange-lorum, Angelorum substantias antea fuisse; & eas, dignitates non tales habuisse, quales Christus creavit. Angelos verò, absq; dignitatibus suis unquam fuisse, statuere, absurdum est. Relinquitur igitur, ut Christus dignitates Angelorum mutârit, ita ut nunc aliae sint ab illis, quas antea quâm Christus in cælum ascenderat, habuerunt. Nec enim novum est in S. literis, mutationem quandam singularem, quæ rebus infertur, creationē appellari, a quo, quia id omnes Theologi fatentur, probando supersedemus. Deinde verò per creationem istorum omnium, quæ sunt in cælo, invisibilium, intelligi debere istam mutationem, quæ facta est in illis per Christi dominium, quod in ea obtinuit, hinc apparere vide-tur. Quòd similiter etiam ea omnia, quæ sunt in terra, aspectabilia, crea-ta esse per Christum dicit Apostolus: quemadmodum dicit, creata per eum esse omnia, quæ (sunt) in cælo, invisibilia, & hæc est, respectu ver-borum sequentium, quasi thesis Apostolica, quâ jam probârat id, quod verbis præcedentibus dixerat, nempe Iesum esse imaginem Dei invisi-bilis, & primogenitum omnis creaturæ. Probaturus autem Apostolus, vel declaraturus, quomodo per Christum omnia, quæ sunt in terra, visi-bilia, creata sint, aliud nihil dicit paulò inferiùs, quâm hoc: *& ipse est caput ecclesiæ, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse primatum tenens inter omnes.* In quibus verbis docet Apostolus, primùm quænam sint ea omnia, quæ sunt in terra visibilia, nempe Christi Ecclesia, ad quam tâni omnes ii pertinent, qui bus Evangelium innotuit: quâmilli, qui illud receperunt. Deinde docet etiam, quid sit creata esse omnia, quæ sunt in terra, per Christum, nempe, eum factum esse caput illorum. Ad id verò, ut quis caput sit Ecclesiæ, non esse opus, ut idem sit Ecclesiæ etiam, pro-priè

Col. 1. De domi-nio Christi in Angelos sermo-nem esse.

priè loquéndo, creator, hinc appetat, quòd vir caput est mulieris, ut caput viri est Christus: cùm tamen non sit creator mulieris vir; neq; Christus caput viri appellari possit, ratione creationis. Alioquin enim, si Christus esset creator viri, propriè loquendo, quia caput ejus est, tām esset creator mulieris, quām viri; nec opus esset dicere, Christum seorsim esse caput viri. Est igitur vir Dominus mulieris, & neminem mulier, quo ad ipsum sexum, in hoc mundo superiore agnoscit, prēter virum. Vir item, quoad ipsum sexum, neminem in hoc mundo superiore agnoscit, prēter Iesum Christum. Itaq; certum est, Christum caput Ecclesiæ dici, propterea quòd dominium in eam habeat. Et quia per hæc verba, Christus est caput Ecclesiæ, probantur vel declarantur illa: *Per Christum sunt creata omnia, quæ sunt in terra, visibilia, hinc inferimus, id est etiam dici: Per Christum creata esse omnia, quæ sunt in cælo, invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates,* quia Christus dominium in ea absolutum obtinuerit. Simili enim modo intelligenda esse verba illa, *per eum creata sunt*, cùm de illis omnibus prædicantur, quæ sunt in cælo, quo intelliguntur, cùm de illis omnibus, quæ sunt in terra, prædicantur, docet primùm ipsa rerum connexio; & absurdum esset, per ea verba: *Per Christum creata sunt omnia, quæ sunt in terra, visibilia,* intelligi, eum esse istorum omnium Dominum: per ea verò: *Per Christum creata sunt omnia, quæ sunt in cælo, invisibila,* intelligendum esse, eum esse istorum omnium creatorem. Deinde, satis evidenter docet, utrobiq; eandem esse significationem horum verborum, & ea ad dominium tantum, quod Christus in ea obtinuit, pertinere, id, quod Apostolus ait, rem hanc quasi concludens, *ut sit ipse primatum tenens in omnibus*, vel, *inter omnes*. Hæc enim verba, non tantum de illis omnibus, quæ sunt in terra, sed etiam de illis omnibus, quæ sunt in cælo, intelligi posse, nemo negabit: intelligenda autem esse, nos certò persuasi sumus. Et ita correspondent verba Apostoli, quæ hæc, de quibus agimus, præcedunt, Christum scilicet esse primogenitum omnis creaturæ, cum illis, quibus totam hanc rem quasi concludit, ut scilicet per omnem creaturam intelligantur, & Angeli & homines, quatenus Christus primatum inter omnes tenet. Quanquam in aliis etiam verbis satis hoc innuitur, dum dicitur, Christum esse ante omnes, hoc est, omnibus superiorum. Quæ verò adduntur alia, nempe, in ipsum esse creata omnia, & in ipso omnia confistere, ea perfectionem dominii, quod Dominus Iesus in ea omnia, quæ sunt in cælo, habet, indicant, non tantum scilicet eum Hierarchiam illam subjectam sibi habere: verū etiam id omne in gloriam ejus cedere, & totam illam Angelicam dignitatem, ut

semel a Christo creata aut mutata est, ita durare, & duraturam quandiu Christus eā opus habiturus est.

Gradus inter Angelos.

Iud. 5. 9.  
Apoc: 12. 7.

Sed præter id, quod probandum nobis sumseramus, appareat etiam aliud quid ex his testimoniis, nempe, non omnes Angelos ejusdem esse dignitatis: sed esse inter eos certos dignitatum gradus; & alios esse non tantum Angelos, verū etiam Angelorum dominos, & gubernatores, & reges, ob quam causam etiam Archangeli quidam appellantur. Et tamen illorum omnium Rex & Dominus est Iesus Christus. Vnde simul videre est, verè divinam esse Christi potestatem, cùm in Angelos divinos nemo potestatem habere possit, nisi Deus, & cui eam Deus concedit. At enim verò, ut tantò manifestius appearat divina Christi potentia, ex eo, quòd potestatem habet Angelorum, necesse est præterea considerare, Primùm, qua de causa Deus Dominus Iesu omnem potestatem in Angelos concesserit. Deinde, quibus in rebus, & quomodo eorum operā D. Iesus utatur.

Qui Deus Angelos Christo subjecerit.

I.  
Gloria Dei & Christi.

II.  
Hominum salus

Quòd ad causam attinet, propterquam Deus Christo Iesu Angelos subjecerit, quanquam nihil dubitamus, hanc etiam unam esse, ut hinc patesiat gloria, tūm ipsius Dei, tūm etiam Iesu Christi. Dei quidem, quòd non tantum ipse sit Dominus Angelorum: verū etiam quòd alium quempiam, Dominum eorum efficere potuerit & efficerit. Hinc enim infinita ipsius potentia & sapientia cognoscitur. Ex cognitione autem potentiae & sapientiae Dei pendet ejus gloria. Christi verò, quòd, minoratus olim præ Angelis propter passionem mortis, non tantum præstantior illis in ipsorum genere factus est: verū etiam Dominus, & Dominus absolutus evasit, non tantum illorum Angelorum, qui antealiiis obtemperare rare solebant: sed etiam istorum, qui antea nemini obtemperabant, præterquam soli Deo creatori suo. adeò, ut, quodcunque eis nunc præcipit Christus, hoc ita teneantur facere, ac si ipse Deus id eis præciperet, quanquam, inquam, nihil dubitamus, hanc etiam esse causam, cur Deus Christo Angelos omnes subjecerit: tamen re penitiùs considerata, perspicere possumus, totum hoc principaliter hominum causā factum esse, ut scilicet inde certiores redderentur, Deum illum unum & altissimum velle eos in æternum servare, & immortalitate donare per Iesum Christum Dominum nostrum. Sic autem res tota ob oculos ponenda est: Miserat Deus filium suum in hunc mundum, ut hominibus salutem æternam annunciatet, & confirmaret: Eā firmissimè, per innocentiam, miracula, mortem & resurrectionem Christi confirmatā, voluit rursus Deus, Iesum Christum, semel in cælos exaltatum, ibidem manere, usque ad instaurationem omnium. Populum vero

verò Iesu Christi voluit Deus in hac humili terra versari. Tantum igitur abest a populo suo Rex I E S U S Christus , quoad essentiam suam, quantum summum illud cælum distat ab hac infima terra. Et tamen voluit etiam Deus, ut homines fideles certò persuasi essent, Iesum Christum, qui in terris fuerat, & in cælos ascenderat, quotidiè illis, per universum licet orbem dispersis, adsuturum usque ad consummationem seculi, eos protecturum, eis benefacturum, omnia ad salutem necessaria eis suppeditaturum , & tandem ex ipsa morte eos resuscitaturum. Hoc igitur, ut hominibus persuasum esset, & esse posse, & certò futurum, ideo tantam Deus Iesu Christo potestatem dedit, ut is, licet ipse in cælo degeret, posset tamen ista omnia suis cultoribus dare. Et quid multis opus est? Causa una & unica, cur tot & tanta de Christo in S. literis legimus, est, ut hominibus benè sit, & saluti eorum quam optimè consulatur. Hinc etiam Christi nomen habet, quod Regem vel unctum significat. Hoc verò nomine rursus, propriè hominum respectu appellatur. Et, quodcumque Christo datum est, quodque toto in hoc negotio ei contigit, id omne propter aliud factum est ; & ipsa etiam potestas, quam Christus in Angelos habet, ideo data est ei, ut id effici per Christum posset, cuius causâ Christus est, nempe, ut salus hominum nunc procuraretur, & tandem perficeretur. O divinum opus : o diuinum divini operis administrandi modum : o divinum, tam divini operis, tam divino modo administratorem.

Quibus verò in rebus, & quomodo, operâ angelorum utatur D. Iesu Christus, jam expediendum est. Affirmamus igitur primùm, Iesum Christum operâ Angelorum toties uti, quoties cā fidelibus suis opus est; & eum, tunc, quando opus est, eorum ministerio juvare fideles. Nec enim credimus, singulos homines habere suos Angelos, qui eis quotidiè & perpetuò ministrent, cum planè indignum sit & absurdum, Angelos sanctos illis servire, qui Deum non curant, nec metuunt. Sed nec illud pro certo habemus, Angelos semper & perpetuò adfesse fidelibus. Cederet enim hoc in contemptum promissorum divinorum, quæ in Evangelio continentur, quasi non possit homo, adjutus promissis divinis, quicquam præstare eorum, quæ Deus ei præcipit, quorum tamen tantam vim esse sacræ literæ testantur, ut credenti omnia sint possibilia : Sed statuimus solis fidelibus servire Angelos, idque tunc, cum scilicet opus est. Quod totum confirmatur ex eo, quod ait autor Epistolæ ad Hebr., eos esse Spiritus ministros, qui ad ministerium emittuntur eorum, qui hereditati sunt salutem. Ii enim, qui salutem consecuturi sunt, non sunt alii, nisi fideles. Quiverò mittuntur, nempe

Christus opera  
Angelorum uti-  
tur, cū opus est,

Angeli in auxili-  
um mittuntur fi-  
delibus.

Matth. 9. 23.

Heb. 1. 14.

fidelibus, eos, non semper fidelibus adesse, constat. Quæ res divinam Christi in Angelos potentiam tantò magis ostendit, quantò majus est, sàpè alicujus operâ uti, quàm semel. Astant igitur ad Christi solium angeli, & sunt expediti & parati, omne illud exequi, quodcunq; eis in mandatis a Domino nostro detur.

Modi, quib⁹ Chri-  
stus fideles in u-  
niversum, operā  
angelorū iuvat.

L

Horum autem Angelorum operâ Christus utitur, interdū, ut omnes in universum fideles suos: interdum, ut quosdam illorum juvet. Omnes in universum juvat, duplicitissimum modo. Primum, quando eos in nomine suo congregatos, divino suo favore ita prosequitur, ut quantumvis Diabolus multa impedimenta objiciat, quibus rei Deo gratissimam & acceptissimam interturbet, vel irritam efficiat: tamen illi omnia ea, quæ ad Dei gloriam spectant, confidere possint, & quæ ad veram sui consolationem, doctrinam, correctionem, & institutionem pertinent, obtineant. Promisit Christus, se ubi duo aut tres in nomine ejus congregati sint, futurum in medio illorum. In nomine Christi congregatum esse, nihil aliud est, quàm in hunc finem cum alii congregatū esse, ut gloria Dei propagetur, & salus nostra promoveatur. Christum vicissim in cælo esse & futurum, usq; ad instaurationem omnium, testatur D. Petrus. Constat igitur, quando se in medio suorum futurum promittit Christus, hoc de gratia & favore Iesu Christi intelligendum esse. Hunc autem, licet is etiam alio modo exhiberi possit, non minus per Angelos exhiberi, neminem esse credimus, qui negaturus sit. Nec enim frustrâ Apostolus, persuasurus mulieribus Christianis, ut capite te-  
cto orent, ait: *Debent habere poteſtatem in capite propter Angelos*, nempe, ut ostendat, adesse tunc angelos præfentes Christianis, quando Deum colunt; & debere eos revereri mulieres Christianas, ne scilicet quicquam, quod indecorum sit, & cum voluntate divina qualicunq; modo parùm conveniens, faciant. Et certè, Christum Iesum adesse suis tunc temporis, ipse effectus satis superq; docet. Nihil enim recte in tanto negotio administrari, neq; a docentibus, neq; ab audientibus posset, absq; singulari Christi auxilio, de quo alias. Divinus igitur Iesus Christus est, & mira ejus divinitas, quam in hac ipsa re quotidie exercet, cuius effecta quidem cognoscimus: at modum, quomodo ea exerceatur, cognoscere nullo modo possumus.

II.

Deinde etiam, omnes in universum fideles suos, juvabit Iesus Christus operâ Angelorum, cùm scilicet in adventu suo ultimo eos missurus est, ut omnes credentes ex quatuor mundi angulis congregent, & eos ex hac terra infima in istam sublimitatem transferant. Certum enim est, omnes credentes in adventu Christi congregatum iri in hoc mundo,

Matth. 18. 20.

Act. 3. 21.

mundo, alios quidem, ex mortuis scilicet resuscitatos, immortales: alios verò, nempe tunc vivos, adhuc mortales. Certum etiam est, tunc omnes, & præfertim eos, qui vivi superstites erunt, non habituros eam virtutem, ut in cælum ascendere possint, nisi ab ipso Deo eò transferantur. Hoc autem omne fiet procul dubio per illos sanctos Angelos, Christo Domino ita jubente, & tunc verè Angelii ultimum illis, qui salutem consecuti sunt, officium præstabunt. Hinc est, quod dicitur de Iesu Christo, cum venturum cum Angelis potentiae suæ; & quod Angelii messores istius ultimæ messis, hoc est, consummationis seculi ab ipso Christo appellantur. Divinum igitur Regem eum esse oportet, qui tam divinis Spiritibus, pro libitu suo, ad officia præstanta fidelibus suis, uti possit.

Quosdam verò ex fidelibus suis juvat Iesus Christus operâ Angelorum, Primùm, dum eos, qui parvi & infirmi sunt, per eos ita custodit, ne ipsorum parvitas & infirmitas dolo illis sit. Infirmitas autem est, cùm quis tantum non intelligit, aut facit, quantum intelligere & facere deberet; idque non ideo, quod nolit: sed quod non possit. Non potest autem, vel quia Deus ei non multa revelavit: vel quia ad multa pércipienda & facienda aptus non est; idque vel naturæ, vel educationis, vel institutionis vitio, vel aliis causis impeditientibus: interim verò tantum facit, quantum ejus fert imbecillitas & vires. Hos omnes Dominus Iesus Christus paterno more regit & tuetur, ne fortasse, per astutiam sathanæ, aut hominum impiorum, in errorem vel etiam in peccatum, & ita in interitum inducantur. Hoc autem ita se habere, ipse Dominus testatur his verbis: *Videte ne offendatis unum ex his parvulis, qui in me credunt. Dico enim vobis, quod Angelorum in cælis semper aspiciunt faciem Patris mei, qui (est) in cælis.* Quod verò tunc Christus de patre suo dixit, angelos scilicet parvulorum, ejus faciem aspicere, id totum de Christo hodiè dici potest. Is enim est unus ille Dominus, per quem omnia, & qui omne judicium, hoc est gubernationem & regnum a Patre sibi traditum habet.

Obiter autem notari illud etiam potest ex his verbis non tantum apparere, Angelos servire fidelibus Iesu Christi parvis & infirmis: verum etiam Angelorum præstantissimos servire parvulis Iesu Christi. Cùm enim ait Dominus: Angelos parvulorum, in cælis semper aspicere faciem Patris sui, tacitè innuit, non omnes angelos semper aspicere Dei faciem. Nam si omnes semper aspicerent Dei faciem, nullus esset locus ex eo commendandi angelos parvulorum, qui in Christum credunt. In tanto scilicet sunt precio apud Deum omnes Iesu Christi fideles,

*1. Thess. 1. 7.  
Matth. 13. 39.*

Modi, quibus  
Christus quo-  
dam ex fidelibus  
operâ Angelo-  
rum juvavat.

I.

*Matth. 18. 10.*

Angeli præstan-  
tissimi ministri  
sunt minimorum  
fidelium Iesu  
Christi.

Matth. 25. 40.

Ioh. 3. 12.

fideles, ut etiam Angelorum præstantissimi minimis Iesu Christi servis serviant. Nec mirum, cùm minimi Christianorum, sint etiam minimi fratres Iesu Christi, qui Dominus est Angelorum. Quod tamen rursus non ita accipiendum est, ac si tantùm parvulis fidelibus servant Angelii singulares: imò si parvulis serviunt, multò magis adolescentibus & patribus in fide Christiana, ut D. Iohannis vobis utamur: sed ut appareat, quanti a nobis fieri debeant Christi fideles, quantumvis infirmi, affirmatur, eos non tantùm ab Angelis custodi: verum etiam Angelos præstantissimos ita custodes eorum esse, ut aliorum adulorum custodes esse solent. Adultos custodiunt, ne perdant suam dignitatem, & ne priventur eo, quod divinitus sibi donatum habent: Parvulos custodiunt, ne per infirmitatem labantur, & pereant, sed ut in dies magis magisq; proficiant. O divinum populi divini Regem, qui isto modo suorum omnium, & minimorum etiam curam gerit, & rationem habet.

II.

Act: 5. 19.  
Eph. 12. 16.  
Eph. 16. 25.Phil. 1. 25.  
Eph. 12. 16.  
Act. 5. 41.  
Eph. 16. 15.

Deinde, quosdam etiam fidelium juvat Christus operâ Angelorum, dum scilicet Christi causâ in aliquam afflictionem incident. Iuvat autem eos dupliç modo: Aut enim eos liberat ex omnibus afflictionibus, & ex ipsissima morte, ut testantur exempla Apostolorū, D. Petri & Iohannis, Pauli, Silæ, & aliorum; & ita eos liberat, ut appareat liberationem illam a Deo profectam fuisse, dum scilicet eos ex carceribus munitissimis educit, vincula & catenæ solvit, portas aperit, & alia hujusmodi facit, quæ divinæ præsentiaz omnibus indicu: esse possunt: Aut, si ita divina ferat voluntas, ut fideles morte & sanguine suo Deum glorificant, & nomen Iesu Christi illustre faciant, tantam eis magnanimitatem addit, ut pro lucro habeant Christi causâ mori, & gaudeant se dignos haberi, qui contumeliâ afficiantur propter nomen Christi. Quod itidem de Apostolis & aliis fidelibus sacræ testantur non uno in loco literæ. Omne autem illud factum esse per Angelos, partim manifestè testantur historiaz: partim etiam ipsares loquitur. **Quis enim** ista omnia **alius** faceret, quam Angelus? Hoc verò totum dum Christus facit, quis eum verè & mercè divinum regem esse non agnoscat, & proinde hanc ejus divinitatem non admiraretur?

## C A P. XVII.

*De Christi regno super Diabolos.*

**A**Dhuc de regno Christi, & divina potestate, quam in Angelos, qui solum hoc

soli hoc vocabulo, simpliciter & absq; ulla additione posito, appellantur, pauca diximus. De regno Christi divino, quod supra Diabolos habet, consequens est, ut aliquid dicamus.

Nolumus autem nunc quicquam dicere adversus eos, qui negant, Diabolos esse. Nec enim nunc propositum nobis est, cum illis agere, qui omnem religionem negant, & athei sunt: sed tantum cum illis res nobis est, qui Christianam religionem pro verissima habent. Eos autem, qui negant Diabolos esse, nos quidem credimus, facile etiam negatueros, Deum esse, & hunc quidem ad atheismum gradum esse statuimus. Sed ad rem nostram redeamus. Dicimus igitur, in potestate ista, quam Christus in caelo habet, contineri etiam potestatem ejus in diabolos. Hi enim sunt procul dubio personæ, ut Angeli boni; & in caelo etiam esse, dici possunt: quemadmodum principes aëris appellantur, quia scilicet natura eorum talis sit, ut in aëre, quietam cælum dicitur, degere possint, & ibi etiam degant. Dum vero intenebris esse vel versari dicuntur, hoc ideo dici credendum est: vel quod hic locus, in quo nunc degunt, sit tanquam tenebrae, respectu istius loci, ubi antea degebant & ex quo dejecti sunt: vel quod æternis tenebris cum omnibus impiis addicti sint.

Hos autem Christo subjectos esse, testantur ferè iidem loci, ex quibus paulò ante docuimus, Iesum Christum potestatem habere in Angelos. Nihil enim vetat, quominus in loco Phil: 2. vel per cælestium, vel per subterraneorum genu, diaboli intelligantur, nempe, si per subterraneos, intelligere quis velit eos, qui mortui sunt, & statuat, eos etiam Christi dominio subjectos esse, & tandem illud agnitueros, quae de causa etiam dicitur, Iesum Christum vivis & mortuis dominari, tunc per genu cælestium, diaboli etiam intelligi possunt, quatenus scilicet etiam illi, principes aëris, ut jam diximus, esse dicuntur: vel, si quis per cælestes, solos Angelos intelligat, per subterraneos intelligi possunt diaboli, qui ideo sic appellari possunt, quod subterraneis locis vel inferno destinati sint. Planè enim verisimile est, Paulum, dum eos enumerauit, in quos Iesu Christi potentia extenditur, non omisisse ipsos diabulos. Hi enim sunt non minima pars eorum, quos Deus Christo subjecit. Præterea diabolos Christo subjectos esse testantur etiam illi loci, in quibus affirmatur, potestates & dominationes cælestes ei subjectas esse. Certum enim est, diabolos etiam potestates & dominationes esse & appellari: Quin ideo principes in aëre vim suam exercentes appellantur diaboli; & quod majus est, ipse diabolus, vel unus ex his spiritibus impuris primarius, princeps & Deus mundi a Christo & Apostolo cognominatur.

Quid sentiendum  
sit de illis, qui  
negant esse dia-  
bulos.

Eph. 6. 12.

Christo diabolos  
subjectos esse.

Rom. 14. 9.

Iob. 12. 31.

§ 14. 30.

§ 16. 11.

2. Cor. 4. 4.

Eft

Gradus inter dia-  
bolos.

Est autem notandum, tām inter diabolos, quām inter Angelos gradus esse & differentias, adeò ut quidam sint quasi subditi, reliqui regnent: omnes autem, quotquot & quanti sunt, Christi dominio subiectos esse: Imò inter causas, cur Deus diabolos a tot seculis non omnino delerit, sed eos adhuc servat, ( de quibus nunc differendi locus non est) non minima hæc est: quod scilicet Deus voluit eos conservare usque ad Christi adventum in mundum, & eos ei regendos, & tandem delendendos tradere. Ut hinc summa tūm ipsius Dei appareret potentia, qui non tantūm potentia sua divina naturali possit omnes diabolos superare & delere: verū etiam eosdem ei nunc regendos, & olim damnandos tradere potuerit, qui ipse aliquando mortalis fuit: Tūm vero, ut appareret etiam ipsius Iesu Christi verè divina potentia, quā scilicet istis Spiritibus dominatur, & eos olim perditurus est, in quos nemo omnium, præter solum Deum, quicquam imperii habet, & quos solus tantūm Deus perdere potest. Diabolos igitur omnes subditos sibi habet Dominus Iesus, & divino eisdem modo imperat.

Modi, quibus  
Christus diabolis  
imperat.

II.

2. Cor. 11.14.

Modi, quibus Di-  
abolus homines  
seducit.

I.

Primum enim, quamvis maxima sit illorum potestas: nihil tamen unquam Christifidelibus nocere, nedum in remagni momenti, sed ne pilū quidem illorū movere possunt. Considerandum autem est, diabolū odio implacabili perpetuò ardere, adversus omnes, qui Christo confidunt, propter hoc in primis, quod eos aspicere cogatur, quos Deus in locum sui aliquando suffecturus sit; & præ invidia tantūm non rumpitur, ideoq; nihil non facit, dummodò saluti eorum obsit; & efficere conatur, ne vel unquam Deum cognoscant illi, qui sine cognitione Dei vivunt: veluti i, qui Deum cognoverunt, ista cognitione rursus priventur, adeò ut vel Deum omnino esse, iterum negent simpliciter: vel ut Deum ore confitentes, factis tamen eum negent, & ita salutem æternam amittant. Quām multiplex igitur est Sathanæ astutia in nocendo hominib⁹, & perdendis illis: tām multiplex, vel potius mille modis magis multiplex est Christi, in eo refrenando, potentia. In primis petit diabolus mentes eorum, quibus salutem invidet, dum se in Angelum lucis transfigurat, & loco veritatis, mendacium: loco virtutis vitia commendat, fucum faciens hominibus, & eis astutia suā imponens, dum scilicet quosdam excitat, qui sese ministros tantæ injustitiae præbent: Reprimit autem eum, dum hoc agit, Iesus Christus rex noster, planè divino modo. Nempe primū, Spiritu suo infuso in mētes credentium, ita eos illustrat & confirmat, ut seduci nullo se patiantur modo. Deinde sapientiam & vigiliam largitur, iis, quorum curat fideles suos commisit, ut quasi ex specula ista omnia prospicientes, quæ Christi populo accidere

dere possunt, tempestivè eundem moneant, ut sibi ab hujusmodi imposturis Diaboli caveat. Qui modi videntur quidem esse contemibiliæ: interim verò verè sunt divini. Spiritu scilicet oris sui, percutit omnem Diabolicalm potentiam, Dominus Iesus.

Porrò, ad dementandos homines fideles, in formam serpentis sese convertit diabolus, dum eis commoda, vel voluptates, vel deniq; vanam gloriam ostendit, & horum amorem cupiditatemq; animis illorum instillat, qua de re testatur etiam Apostolus: At Iesus Christus, tanquam verus & divinus Doctor & magister, illi sese opponit, dum per Spiritū suum S., & ministros verbi sui, mentes eorum implet, cogitationibus de vera voluptate, divitiis, & gloria, quæ eos in æterna illa vita manent, & ita efficit, ut eos, istiusmodi vanis cogitationibus apud animum suum unquam locum dedisse, pudeat, &, hæc temporanea cum illis æternis commutare, pro lucro habeant, atq; ita, exemplo Domini sui Iesu Christi, omnes ejus fideles servi, omnes tentationes Sathanæ superant, & vitæores tandem evadunt.

Impetit deinde diabolus Christianorum corpora, dum scilicet tales excitat, qui eos affligunt & persequuntur, qui illis injurias inferunt, qui eos damnis afficiunt, qui deniq; vitam eis adimunt: Sed vicissim suis præstò adest Dominus Iesus Christus Rex noster, & omnes istos diaboli conatus ita reprimit, ut tandem viætus, turpissimè loco cedere cogatur. Et quemadmodum credimus, tantam esse malitiam diaboli, ut fideles, quos perdere non potest, subinde tamen infestet, & eos quasi irritet & exagitet, leviuscula quædam objiciendo, quibus eis molestiam vel damnum afferat: ita vicissim, tantam & multò majorem esse Christi Regis nostri potentiam, nihil dubitamus, ut etiam in hujusmodi minimis casibus, qui accidere fidelibus solent, possit eos perfectissimè juvare, & eos ab illis averttere. Quòd verò nihilominus interdum aliquid adversi accedit Christi fidelibus, id fit Christo ita permittente: tūm quia non multum eis istud nocere potest: tūm quia absq; singulare Christi auxilio caveri illud potuisset a fidelibus, si cauti fuissent; & ita, si quid eis tale accedit, pœnas suæ dant negligentiæ. Sic scilicet divino modo, Christus Rex noster cælestis & divinus, imperat istis malignis Spiritibus, & sic, eorum tam effrenata nocendi fidelibus libido, perpetuò ipsius divino coercetur imperio.

Deinde divinus etiam, quo Christus dominatur diabolis, modus, ex hoc apparet, quòd per eos interdum suos fideles affigit: impios verò gravissimè punit. Quòd ad fideles attinet, ita interdum permittit, interdum etiam vult Iesus Christus, ut diabolus eos affligat, quemadmodum

II.

2. Cor. 11. 2, 8.

Modus quo Dia-  
bolus fideles  
persequitur.

Cur levia que-  
dam adversa fi-  
delibus accidunt.

2. Modus regni  
Christi in Dia-  
bolos.

Christus probat

**fideles per Dia-**  
**bolos.**

**Matth. 4. 1.**

**Luc. 4. 1.**

**2. Sam. 12. 11.**

**2. 16. 12.**

**2. Cor. 12. 7.**

**Quid perstimu-**  
**lum 2. Cor. 12.**  
**intelligendum,**  
**ut.**

**Phil. 1. 29.**  
**1. Petr. 2. 19.**

modum Deus id olim ei permittebat, & volebat. Affligebat autem Deus fideles suos : vel ut eos probaret, ut sub veteri fædere de Iobœ legimus : sub Novo verò de ipso D. Iesu , de quo aperte testantur Sacrae literæ, cum deductum fuisse a spiritu (nempe Dei) in desertum, ut tentaretur a diabolo: vel etiam affligebat Deus fideles suos , ut eos castigaret : quemadmodum sub veteri fædere de Davide, per Absalonem castigato, legimus. Hoc etiam modo Christum agere cum suis fidelibus, quod ad probationem attinet, exemplum D. Pauli docet, qui de seipso testatur, quod, ne efferretur excellentia revelationum, datus sibi fuerit stimulus carni, Angelus sathan, qui eum colaphizet. Per quem stimulus, intelligi debere perpetuas afflictiones, quibus Paulus, Christi causâ, expositus erat, testantur loci istius sequentia verba. Cum enim Paulus ter Dominum rogasset, ut a se sathan ille discederet , & responsum tulisset, satis sibi esse debere gratiam Domini, sic de se ipso ulterius ait: *Libenter igitur magis gloria labor in infirmitatibus meis.* Vnde videre est, hoc loco idē esse infirmitates Pauli, quod stimulus ille ei datus. Infirmitates autem quid significant, sequentia verba docent: *Propter quod placebo mihi in infirmitatibus, in contumelias, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Quas tantas afflictiones, Apostolus, stimulus carni inflictum, appellat, quia scilicet perpetuos dolores concident ex afflictionibus, quæ corpus nostrum carneum petunt. Immissas autem fuisse D. Paulo istas afflictiones, Christo ita volente, hinc apparet, quod Paulus ait, datum sibi illum stimulū fuisse, nempe a Christo, quem, ut cum a se auferret, petierat. Ut mirari eos subeat, qui de alia aliqua re, quam de afflictionibus, hæc verba Pauli acceperint. Nam non nisi absurdè, & tantum non impie, dici posset, ea esse data vel immissa Paulo a Deo & Iesu Christo , quæ alii commentatores comminiscuntur: Hoc verò, quod nos statuimus, absque omni absurditate & impietate de Deo vel Iesu Christo dici posse, hoc est, quod afflictiones immittat, quando & quales velit, suis fidelibus, hoc confirmat, quod gratia & donum Dei sit, si quis dignus habeatur, qui Christi causâ aliquid adversi patiatur: quemadmodum etiam in his ipsis verbis, Dominus Iesus, id, quod Paulus, stimulus carni inditum, appellat, gratiam suam & favorem appellare non dubitavit. Quod verò isto in loco, immissio illius stimuli, tribuitur etiam quodammodo Angeli Sathanæ, vel Angelus Sathan, id, quod immisum erat, appellatur, id fit ideò, quod, quemadmodum Sathan ad hoc exequendum usus erat Iesus Christus : sic etiam ille libenter, eam provinciam, quam semper captat, recepit, ut pote, cuius id est pro-

proprium, libidine nocendi hominibus, præſertim verò fidelibus, ſemper ardere. Id verò, quod Paulo Apoſtolo accidit, aliis multis & olim eveniſſe, & nunc evenire, minimè dubitandum eſt, nempe, Dominiū Iesum per ipſum Diabolum eos affligere, ut eos probet & exploret. Hæc enim præcipua cauſa eſſe videtur, cur Christiani quotidie orent, ne a Deo in tentationem inducantur: ſed ab illo malo, nempe Diabolo, liberentur. His enim verbis procul dubio id petunt, ne Deus, cum ſibi viſum fuerit, eos afflictionibus tentare, permittat, ut iſtis ita implicentur, ut, quod ſe vertant, aut quid tūm orare debeat, neſciant: ſed ut eos a potestate Diaboli, quam iſi tum maximè exerit, cum ſuos fideles Deus ei affligendos tradit, eripiat, ne, ab eo ſupetari, ſuccumbant, vel (ut Apoſtoli verbis rē explicem,) ne patiatur Deus eos tentari, ſuprā quod poſſunt, ſed faciat cum tentatione etiam prouentum, ut poſſint ſufferre. Qua iſpa in re mirum eſt divinitatis Iesu Christi documentum, quod ſciliſet, etiam ſi permittat, & interdum velit, diabolum affligere homines Christianos; & diabolus etiā arrepta illa occaſione, ſummiſ viribus in eo enitatur, ut ejuſmodi, ſibi ad tēpus traditos homines, poſlit in nihi lum redigere, & omni ſpe eos ſpoliare: tamen Iesu Christuſ fines & terminuſ ei præſcripsit, quem transgredi nullo modo potheſt; & dum maximè furit, & nocere vult: nihil tamen eis nocere potheſt.

Exemplaverò, quomodo Christuſ Rex noſter ſuoſ fideles caſtiget, non eſt opus adducere. Quis enim neſcīt hoc ſepiſſimè factum fuilſe, & etiam num fieri? Operā autem diaboli, iſtas caſtigationes hominibus Christianis, ſi ſciliſet in officio ſuo ſint negligentes, evenire, vel evenire ſaltem poſſe, nemo etiā, credo, negabit. Solus enim Diabolus eſt, cuiuſ natura gaudet eo, ſi malē alii facere poſſit. Et ſi, per diabolum tentari homines sanctos, certum eſt: quid mirum, per eundem, & negligentes & parum probos, caſtigari, Christo volente?

Quod verò impios, Christuſ Rex noſter, per iſpoſ diaboloſ punit & graviflma de illis ſupplicia ſumit, & eos funditus delet, hoc in primis, diuinæ potestatiſ Iesu Christi, quam in Diaboloſ exercere potheſt, ſingula‐re documentum eſt: Dum ſciliſet Diabolus, Christo jubente, eos affli‐gere, & graviflma carnificare, qui ex iſpicio voluntate & nutu pendebant, & ita quaſi ſeipſum deſtruere cogitur. Puniri autem & deleri ho‐mines impios, per iſpicio Diabolum, ex modo, quo Christuſ impios pu‐nire ſolet, facile cognosci potheſt. Sic enim Iesu Christuſ, eos, qui vo‐luntatem Dei cognitam aspernantur, & eidem obedire nolunt, quo ad iu‐nterna & mentem eorum punit, ut vel veritatē ab eis auferat: vel ma‐

1. Cor. 10. 13.

Christuſ fideles  
per diaboloſ ca‐  
ſtigari.

Christuſ per dia‐  
boſ, homines  
impios punit.

nente & durante veritate, aures eorum obturat, & oculos excæcat, ut audientes non audiant, & videntes non videant. Quoad externa verò & corpora eorum, integra regna, urbes, domos, familias & personas radicitus excindit, & supplicis exquisitissimis funditus delet. Ad quæ supplicia exequenda nemo aptior est ipso Diabolo, adeò, ut verisimile sit, plerunque istiusmodi supplicia Dei & Christi tam horrenda, ipsius operâ hominibus immissa fuisse. Quanquam non negatur, potuisse interdum Deum & Christum, propter certas causas, quæ gloriam illius spectabant, Angelorum etiam operâ ad ea exequenda uti. O divinum igitur Regem, qui tam perfectam & divinam in eos potestatem habet, qui nemini omnium parent, nisi soli Deo.

Leb. 17. 2.

Vbi hoc insuper addi potest, quod, quemadmodum illi, qui Deo ex animo confidunt, & eidem obedire omni studio conantur, Christo traduntur regendi & servandi: sic vicissim illi, qui Christo obedire nolunt, ab eodem traduntur diabolo cruciandi & perdendi. Non est enim statuendum, diabolum a seipso potestatem habere, hominem etiam impiissimum cruciandivel perdendi, nisi id ei Deus vel Iesus Christus concedat. Alioquin omnes eos interimeret, metuens scilicet, ne (quod sàpissime accidere vidit) ad Deum conversi, serventur.

2. Cor. 13. 10.

1. Tim. 1. 20.

Ad. 13. 11.

Ad. 5. 5. 9.

Et hæc tanta potestas non tantum in ipso Iesu Christo residet: verum etiam penes eum est, cui velit, eam cōcedere. Hinc enim gloriatur Apostolus de seipso, quod potestas talis sibi data sit a Domino; & quod tradiderit quosdam homines impios sathanæ, ut discerent nō blasphemare. Quæ verba docent, Apostolum etiam Christi, & servum Regis nostri cælestis, potestatem & jus quodammodo habuisse, diabolo imperandi, ut eos affligeret & cruciaret, qui perverso animo Christo sese opponebant, & eidem obedire nolebant. Cujus tantæ virtutis Apostolica exempla fuere, dum vel recta valetudine, vel etiam ipsâ vitâ istiusmodi homines privabantur. Quam divinum igitur Regem ipsum esse oportet, cuius servi tam divina in diabolos potestate prædicti fuere?

## C A P: XVIII.

## De Christi regno in res cælestes.

**A**bsolute igitur eo, quod ad ostendendum Christi regnum & potestatem divinam, quam in personas, quæ sunt in cælo, habet, pertinet: nunc videamus, quænam ea sint, quæ in cælis sunt,

sunt, in quæ Christus potestatem absolutam & divinam habet, & tamen non sunt personæ. Ea verò possunt dupli modo considerari. Nam aut in Deo naturaliter resident: aut ab eo creata sunt. Quæ in Deo naturaliter resident, sunt Spiritus Dei S., & omnia illius Spiritus sancti dona, quibus homines a Deo sanctificantur. Horum omnium, Iesum Christum Dominum esse absolutum, S. testantur literæ. Christus enim is est, qui, ut Iohannes Baptista prædicabat, baptizatus erat Spiritu S. & igni: qui dexterâ Dei exaltatus, accepit a Patre promissionem Spiritus S., hoc est, donum sibi promissum, nempe dandi Spiritum sanctum, quod antea nondum extabat, dum Iesus nondum esset glorificatus. Effudit autem primum, illud plusquam miraculosum donum, in primos illos Evangelii præcones, quod die Pentecostes a multis visum fuit: & cujus afflatu, Apostoli, qui antea adeò rudes erât, ut pauca eorum, quæ Dominus Iesus dicebat, intelligerent; & adeò infirmi, ut panico terrore percussi, omnes a Domino diffugerent; & unus eorum Domini etiam abnegaret, tantam deinde consecuti sunt sapientiam, ut nihil eis, ad perfectam, qualis scilicet ad salutem æternam necessaria est, Dei & voluntatis ejus cognitionem, defuerit. Potentia verò & virtute tanta confirmati fuere, ut ne gravissimæ quidem afflictiones, & mors horribilissima terrori eis fuerint. Quod enim ad sapientiam attinet, impleta tunc sunt illa verba Iesu Christi: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Nam ea & tanta rerum divinarum cognitio Apostolis contigit, ut, loco ipsius Christi, negotium salutis in hoc mundo procurârint & promoverint. Et quemadmodum Christus, omnium in se credentium, & ipsorum etiam Apostolorum respectu, fundamentum Ecclesiæ sua est: sic Apostoli, aliorum credentium respectu, fundamentum ejusdem ecclesiæ evasere. Cujus deinde fundamenti, quod scilicet erant Apostoli, lapis angularis, hoc est, conservator & sustentator fuit Iesus Christus. Ideò enim D. Paulus ait, Christianos esse ædificatos supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cuius lapis angularis est Iesus Christus, cum Apostolis conjungens etiam Prophetas novi fæderis, qui scilicet primi erant ab Apostolis. Nam de his sermonem esse in loco citato, docet primum id, quod priùs collocantur Apostoli, quam Prophetæ. Sivero de Prophetis veteris Testamenti sermo esset, procul dubio eos Paulus priùs collocasset, quam Apostolos, ut videmus D. Petrum, de Prophetis veteris fæderis, & Apostolis novi fæderis loquentem, fecisse. Deinde ex eo etiam illud idem constat, quod Prophetæ veteris fæderis, fundamentum ecclesiæ Iesu Christi esse, non possunt. Quia scilicet multò

Res cœlestes quo-  
tuplices.

Christi regia  
potestas in Spi-  
ritum S.

*Matt. 3. 11.*  
*Act. 1. 33.*

*Job. 7. 39.*

Spiritus S. effu-  
sio iu Apostolos.  
*Act. 2. 2.*

*Ioh. 16. 13.*

*2. Cor. 5. 18.*

*1. Cor. 3. 11.*

*Eph. 2. 20.*

*2. Petr. 3. 20.*

Matth. 13. 17.

Matth. 11. 11.

Rom. 8. 23.

Spiritus S. dona  
in Ecclesia Chri-  
stii.

Tut. 3. 6.

¶ Cor. 12. 7, 8, 9,  
10, 11.

¶ Cor. 14.

¶ Eoh. 2. 27.

minus cognitionis voluntatis divinæ habuerunt, quam Christiani. Cupierunt enim Prophetæ videre, quæ videunt discipuli Christi, & audire, quæ audierunt illi: & tamen ea nec viderunt, nec audierunt. Et, ipso Iohanne Baptista, qui omnium Prophetarum maximus erat, maior est minimus in regno cœlorum, hoc est, quilibet Christianus. Respectu autem solius rerum divinarum cognitionis, Apostoli & Prophetæ illi, de quibus Paulus loquitur, fundamentum fuere ecclesiæ Christi, quatenus scilicet doctrinæ illorum tantum tenetur tribuere ecclesia Iesu Christi, ut, quiequid ab illis profectum est, pro infallibili fidei norma habeat. Hoc verò totum effectit in illis Spiritus ille sanctus, quo ab ipsa ascensione, & ab initio regni Christi, donati fuerunt. Quod ad potentiam & virtutem attinet, scimus, eos variis modis afflictos, captos, ligatos, cæsos fuisse: & tamen, nedum ut ideo veritatem Evangelicam abnegari int, quin imò legimus, eos animo intrepido ista omnia pertulisse, & martyria etiam omnes ferè, Christi causâ, perppersos esse. Præter hæc omnia, singularis quedam & miraculosa data eis fuit sapientia, omnes linguas loquendi & intelligendi: singularis etiam potentia miracula tanta faciendi, qualia nec ipsum Iesum Christum fecisse legimus. Quorum omnium causâ dicitur etiam de Apostolis, eos habuisse primicias Spiritus, nempe partem donorum Spiritualium, ut primam, sic etiam nobilissimam & præstantissimam.

Non minùs autem in reliquos omnes fideles, Spiritus S. dona redundarunt, & largiter effusa sunt, ut D. Apostolus loquitur. Nam omnibus generatim, qui in Christum credebant, data fuit potestas, & miracula faciendi, & variis linguis loquendi, & nihil non faciendi, quod ad illustrandam Christi doctrinam spectaret, de quo peregregie differit Apostolus, dum ait: *Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad utilitatem: alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae, secundum eundem spiritum; alteri autem fides in eodem spiritu; alii autem gratia sanationum in eodem spiritu; alii operatio virtutum, alii autem Prophetaia, alii discretio spirituum, alii verò genera linguarum, alii autem interpretatio linguarum.* Omnia autem hæc operatur unus atq; idem Spiritus, dividens singulis pro ut vult. Et horum donorum tanta fuit abundantia, ut Apostolum oportuerit, de illorum recto usu, non pauca ad fideles scribere.

Præterea omnibus & singulis, quicunq; Iesu Christo confidebant, datus fuit ille Spiritus sanctus, adeò, ut si fortasse per errores a veritate eos seducere voluisset Diabolus, satis habuerit dicere D. Iohannes: *Vnigio, quam habetis, docebit vos omnia.* Rursus, cum Christi causâ aliquid adversi

adversi ferendum fuit, infirmatibus eorum Spiritus ille succurrit; &, cum jam planè defecturi videbantur, novas vires eis addidit, ut omnia superare potuerint; & cùm coram magistratibus, principibus, & regibus sistebantur, suppeditavit eis Spiritus ille sapientiam, cui nemo resistere poterat. Quod, in primo martyre Domini Iesu impletum esse, videntur. Quæ etiam Spiritus S. efficacia in hodiernum usq; diem perpetuò durat: quemadmodum ipsa fides in Iesu Christo collocanda, & sanctissima ejus religio durat. Itaq; Christus, religionis suæ, ut primus autor est, & unus ejus conservator: ita etiam hujus singularissimi Dei doni, absolutus Dominus & distributor est. O quam divinū etiam proinde eum esse, & verè in cælo, divino modo, regnare oportet, qui tanti doni perpetuam & absolutam potestatem habet.

Sed, hoc ita breviter indicato, restat ut aliquid addamus de iis rebus, quæ in cælo existentes, personæ non sunt, & à Deo creatæ sunt: qualia sunt, ipsum cælum, & omnia, quæcunq; in sublimi hoc aëre a Deo posita sunt, Sol, Luna, stellæ, venti, elementa, nives, grandines, fulmina, tempestas, serenitas, &c. Hæc enim omnia in cælo aliquo modo esse, & ad cælum referenda esse, res ipsa docet. In hæc igitur omnia, nos quidem credimus, Iesum Christum absolutam & divinam habere potestatem. Quod tamē non ita accipiendo esse putamus, ac si hoc muneris sit Iesu Christi regii; & quòd ideo in cælos ascenderit, ut cælum, & ea quæ in cælo fiunt, ordinariè gubernet, & efficiat, ut, exépli causâ, Sol oriatur, tempestas sit vel serenitas, vel tale quid fiat. Hoc enim credimus Dei Patris opus esse. Is eorum omnium, ut creator est: sic conservator etiam & gubernator est. Nec ad id, ut dici possit, Christum Iesum habere divinam potestatem illorum omnium, necesse est, ut quotidiè & perpetuò ea gubernet: sed satis est, eum, quandoconq; opus est, posse illis uti pro libitu suo. Quod quidem tām certum esse debet, ut, qui ea de re dubitet, multūm Iesu Christi dignitati detrahatur. Posset Iesus Christus, si ita opus esset, & gloria illius, vel Dei, vel etiam salus hominum id requireret, Solem continere in medio cursu: quemadmodum Deus fecit tempore Iosue: Potest serenitatem concedere: potest tempestates immittere, quandoconq; eis opus est; & possunt etiam fideles ejus, si accidat, ut istarum rerum cælestium ope indigeant, ad ipsum Christum processus suas, earum consequendarū causâ, dirigere. Quid enim? Si in Angelos absolutam & divinam habet Iesus Christus potestatem, cur non in ea omnia, quæ Angelis tantò sunt inferiora, quantò inferior est res inanimata animatâ? Si in homines potestatem habet absolutam & divinam, cur non in ea omnia, quæ hominum causâ creata sunt? O regem Chri-

Rom. 8. 26.

Matth. 10. 26.

Act. 6. 10.

Christi regia potestas in cælum ipsum, & omnia quæ in eo sunt.

Ios. 10. 12.

anorum

stianorum verè divinum, qui tantam in cælo super omnia potestatem habet.

## C A P: X I X.

## De regno Christi in terra.

Quid sit, Christi  
regnum non esse  
de hoc mundo.  
*Ioh. 18. 36.*

**S**ed nunc, quām latē pateat regnum Iesu Christi in terra, videntur etiam est. Vbi primum iis occurrentum est, qui spiritu Iudaico adacti, negant Iesum Christum in terra regnum habere, idque inter alia, ideo, quod ipse Christus dixerit: *Regnum meum non est ex mundo hoc.* Quæ istorum hominum objectio nimis magnam eorum prodit ruditatem. Nam aliud est dicere: Christi regnum non esse de hoc mundo: & aliud dicere, Christum non habere regnum in mundo vel in terra. Nam priori loquendi modo tantum negatur, Iesum non regnare in mundo, mundano modo: interim vero non negatur, eum regnum habere in mundo, quod altero loquendi modo negatur. Posse autem D. Iesum regnum in hoc mundo habere: & tamen non de hoc mundo, hoc est, non mundano modo illud administrare, docet exemplum ipsius Dei. Is enim procul dubio Dominus est omnis terræ: & tamen regnum ejus non est ex hoc mundo, quia non principum mundanorum, sed divino & singulari modo Deus in terra regnat.

Objectio de re-  
gno Christi iu-  
terra.

Responsio

Quibus rebus o-  
pus sit ei, qui re-  
gnum Christi  
cognoscere velit.

Quod si quis dicat, concedi fortasse posse, Iesum Christum in cælo regnare, quia ibi omnes Angeli ei subditi sint: at neutquam fieri posse, ut Iesus in terris regnaret aut regnet, cum pauci semper fuerint ii, qui illi ex animo obedierint. Huic nos respondemus, Christi regnum quod in terris habet, non subditorum voluntate, sed regnantis potestate contineri, eaq; metiendum esse. Regnum enim Christi ita se habet, ut regnum ipsius Dei. Dei potestas, quam summam in omnes mortales, & habet, & pro suo arbitratu exercet, non omnibus est conspicua. alioquin non tantus esset atheorum numerus. Quin etiam ex illis ipsis, qui non sunt planè athei, quos infinitos penè esse credendum est, non adeò multi sunt ii, qui Dei potentiam rectè noverint. Insigni enim pietate, & justitiae amore ad hanc rem opus est, quæ oculos mentis illuminet, in apertamq; hujus veritatis cognitionem hominem perducat. Sic Iesu Nazareni, a mortuis excitati, & supra omnes caelos a Deo electi, superq; suum populum ab ipso constituti, quiq; propterea Christus Dei est, potestas, quam in omnes mortales, in iis omnibus, quæ ad Dei populum quoquo modo spectant, & habet, & pro suo arbitratu exercet, paucis omnino

omnino est conspicua, licet maximus sit numerus eorum, qui, Iesum Dei Christum esse, confitentur; & ut paucis conspicua sit, necesse est, iis scilicet, qui oculos ad videndum habent, & qui se ab hujus mundi inquinamentis separantes, sobriè, justè, & piè vivere instituunt; qui Iesu ipsius præcepta approbant, nec, quominus eorum absoluta quadam pietate & divino splendore capiantur, eorum exequendi difficultate deterrentur. Quæ difficultas hominibus carnalibus tanta esse videtur, ut hinc potissimum fiat, ut ex eorum numero complures, omnibus modis sibi persuadere conentur, Iesu religionem ementitam ac falsam esse; & idcirco, si quid carnali prudentiæ sese offert, unde colligi posse videtur, Iesum non esse illum Messiam, quem Deus promiserat, (quemadmodum multa ejusmodi Deus esse voluit, quo carnales homines spiritalibus, mali a bonis internoscerentur) statim id arripiunt, aliaq; innumera prætermittunt, ex quibus aperte colligitur, Iesum illum Nazarenum, qui sub Pontio Pilato crucifixus fuit, Christum esse, nec alium, præter ipsum esse posse. De quo nunc plura dicendi locus non est.

Hoc autem Christi regnum, quod in mundo, sive in terra habet, extenditur tam in ipsis hominibus, quam in omnia alia, quæ sunt, extra hominem, a Deo creata in hoc mundo, adeoque in ipsum mare & omnia, quæ in eo sunt, ut suprà etiam monuimus.

Regnum Christi in homines considerari potest duplicitate: Aut enim in eos reipsâ extenditur: aut extendi in eos potest.

In quos Christi regnum reipsâ extenditur, ii duplices sunt: Nam aut Christi populus sunt, aut non sunt: sed tamen populus ejus esse potuerunt; vel, ut populus ejus essent, facultatem & occasionem haberunt.

Qui Christi populus sunt, ii aut impropriè populus ejus sunt, aut propriè. Impropriè Christi populus sunt, omnes quicunque Iesu Christi nomen nominant & profitentur, quamvis salutarem Christi doctrinam non teneant, quorum hodiè in omnibus mundi partibus numerus planè infinitus est. Qui verò propriè sunt Christi populus, ii aut in oculos hominum incurront: aut Deo soli tantum cogniti sunt. Qui in oculos hominum incurront, sunt omnes illi, quicunque doctrinam Christi salutarem profitentur & tenent: Qui verò soli Deo cogniti sunt, illi omnes sunt, qui Deo per Iesum Christum confidunt, & eidem obediunt. Certum enim est, verum Christi populum eos tantum esse, qui fidem habent, & Spiritum sanctum. Perfidem enim Christi corpori inserimur, & fide in eo stamus: & si quis non habet Spiritum Christi, is non est ejus. At fides & Spiritus sanctus ab hominibus certò cognosci

Regnum Christi  
in terra. quam  
latè pateat.

Regnum Christi  
in homines.

Quomodo homi-  
nes considerari  
debeant.

Christi populus  
quotuplex.

Rom. 11. 19.

Rom. 8. 9.

*Rom. 10.10.**Gal. 4.6.**Gal. 5.19.*

cognosci nequeunt, cum hoc utrumq; in corde lateat. Cordē enim creditur ad justitiam: & Spiritus S. in corda mittitur, ut D. Paulus testatur. Ex factis externis potest quidem judicium de aliquo fieri, quod non sive ex numero veri populi Christi. manifesta enim sunt opera carnis: At ex iisdem externis factis judicium de aliquo facere, an sit ex numero veri populi Christi, non humani est ingenii. Possunt enim facillimè opera, quæ ex puro corde non proficiuntur, speciem induere eorum, quæ ex vero corde proficiuntur, vel breviter loquendo: Virtus simulari potest: vitium non potest.

*Quinām non sint  
verus Christi po-  
pulus.*

Qui Christi populus non sunt, esse tamen potuerunt, & ut is essent, occasionem & facultatem habuerunt, sunt omnes illæ gentes, ad quos unquam Iesu Christi nomen pervenit, sive id suâ malitiâ planè repudiarint, & ad idolatriam suam denuò prolapsi sint, adeò ut etiam posteri eorum nesciant, an Iesus unquam extiterit: sive adhuc aliqua ejus rei vestigia appareant, quod nomen Domini Iesu ad eos pervenerit, & doctrina illius eis innotuerit. Ad priorem classem quinām referri possint, difficile dictu est, cum nesciatur definitè, ad quos pervenerit Christi Evangelium, ad quos verò non. Ad hanc alteram classem pertinent, primùm omnes Iudæi. Hi enim Iesum a suis majoribus crucifixum fuisse non negant: & nunc sacrosanctum ejus nomen blasphemant. Quæ duo docent, probè eis innotuisse Iesum. Deinde Turcæ. Hi enim, licet nescio quid tribuere Domino Iesu videantur: tamen indigni sunt tam augusto titulo, ut Christi populus appellantur, quia scilicet Christo repudiato, Mahometem, hominem impurum, & ejus dogmata scelerata receperunt, quibus plus tribuunt, quam ipsi Domino Iesu & ejus sacrosancto Evangelio. In hos omnes tamen reipsâ extenditur divinum regnum Iesu Christi, ut paulò post docebimus.

*Argumentū di-  
nitatis regni  
Christi in ho-  
mines.*

1.

Regnum verò illud Christi, quod in homines reipsâ extenditur, reverâ divinum esse, hinc primùm appetat omnium maximè: Quod Christus nunc non tantum qualicunq; ratione Rex est populi divini: sed ratione planè absoluta. Quæ quidem Christi regia potentia tanta est, ut planè nemo esse videatur, qui satis pro dignitate eam effari, nendum commendare possit; & illi ipsi, qui, aliquantulum ejus rei particulam se esse affescitos esse, credunt, vix audent, id, quod res est, proferre: sed tantum subinde illud memoriam illorum subit, quod Dominus dixit, majora filio opera Patrem ostensurum, ut nos miremur, & ita admirantur hanc tantam Dei magnificentiam, & Iesu Christi exaltationem. Legimus quidem, & scimus omnes, Iesum Christum sedere ad dexteram Dei; & magnum sacerdotem esse super dominum Dei; tempus fore, quando etiam

*Rom. 8.34.**Hebr. 10.21.*

do etiam ipse filius subjicietur illi, qui ei omnia subdidit; deniq; Patrem neminem judicare, sed omne judicium filio dedisse, ut omnem honorificant filium, sicut honorificant Patrem: Sed quotusquisq; est, qui profunditatem & emphasis inimis magnam istorum verborum consideret. Aliis imponit opinio, quam de Iesu Christi existentia, quam ab omni æternitate fuisse credunt, conceperunt, ut, dum Christum Deum illum unum esse, affirmant, qui cælum & terram creavit, satis se fecisse credunt; & ita, quantum sit Christi regnum, quod divinitus ei concessum est, considerare non possunt: Alii rursus, qui animo parvum pio & sincero prædicti sunt, abusiverâ, quam de Iesu existentia assediti sunt, sententiâ, quia scilicet divinitus edocti sunt, filium Dei reipsâ ante & extra Iesum Nazarenum, natum ex virginе Maria, non extitisse, non credunt, tantum tribuendum esse Iesu Christo, quantum ei sacrae tribuunt literæ. Tanta fuit, & est, Sathanæ, in detrahendo Iesu Christo, invidia & malitia. Christum igitur sedere a dextris Dei, non tantum est, illum potestate divina prædictum esse: sed ita illū eâ prædictum esse, ut quodammodo vices Dei ipsius gerat, ipsa phrasis natura docet. Christū super domū Dei esse magnū sacerdotē, non tantum significat, illum in domo Dei regēda omnia posse: sed solum esse, qui omnia possit. Filium olim subiectum futurum ei, qui sibi subjecit omnia, satis apertè etiam innuit, filium absolutè nūc regnare? Patrem deniq; neminem judicare, sed omne judicium filio dedisse, tantā in se continet Christi potentia, ut, quoties ita verba considero, toties mirabundus tantum non obstupescam, præsertim si considerem, quod res est, judicium eo in loco, phrasis hebraica, significare dominium, & gubernationem, unde ii, qui olim populum Dei gubernabant, iudices appellati sunt; & Deus ipse etiam judex omnis terræ dicitur. Ita ut vi horum verborum dici quodammodo possit, quod mirum omnibus accidere potest, Christum ab eo tempore, quo ascendit in cælos, ita regnare in hoc mundo super populum suum, ut Pater, regno super eum, seipsum quodammodo privasse, videatur. Quod tamen nos non simpliciter, ut verba sonant, intelligendum esse statuimus: sed, ad verè divinum suum imperium quam disertissimè exp̄imendum, ita Iesum Christum locutum fuissé, credimus. Non potest affirmari, Deum Patrem ab eo tempore, quo Dominus Iesus in cælum ascendit, simpliciter & absolutè solum in Christi Ecclesia regnare: nec etiam dici potest, Christum simpliciter & absolutè in eadē solum regnare: Sed ita coniunctum est regnum Christi cum Dei regno, ut, quoad Ecclesiam, Dei vices gerere suo modo jure dici possit Iesu Christus; &, quod impropriè olim & in figura tantum de Iosepho dictum fuerat, quodabsq;

Q.

ipsius

*1. Cor. 15. 28.  
Ioh. 5. 22.*

Cur Christi vera  
divinitas paucis  
fimis cognita sit.

*Christus regnat  
quodammodo  
loco Dei in Ec-  
clesia.*

*Gen. 18. 25.*

ipsius imperio, nemo in omni terra Ægypti, nec manum nec pedem movere potuerit, id propriissimè & reipsâ in Christo impletum est.

Quibus in rebus  
sit Dei patris  
prærogativa.

Dei Patris prærogativa in eo est, primùm, quod a seipso regnat, & omnia habet: Christus omnia, quæ habet, a Patre habet, & ipsius beneficio regnat. Deinde, Deus Pater, præter ea, quæ ad Christi Ecclesiam pertinent, judicium & imperium exercet in omnia, quæ ad Christi regnum non pertinent, nec pertinere propriè possunt: At Christus tanum populi divini Rex est, & in eum, propriè loquendo, & omnia, quæcunque ad eum quoquo modo pertinent, divinum imperium habet. Denique Deus Pater, est is, in quem omnia tandem, tanquam ad suum fontem & originem, revertentur, & ipsum etiam, teste Apostolo, Christi regnum, quod nunc habet, ut Deus sit omnia in omnibus. Quod verò ad ipsam gubernationem & effectum illius, in Christi Ecclesia, & in omnibus, quicunq; ad eam quoconq; modo pertinent, attinet, statuendum est, Iesum Christum ita cù nunc fungi, ut absolutissimus populi divini dominus.

*a. Cor. 15.28.*

Refutatio objec-  
tionis de divi-  
nitate Regni  
Christi.

*Ioh. 14.12.*

Nec est, quod quis fortasse cogitet, hac ratione Deo Patri aliquid detrahi, si Christus tantoper extollatur. Primum enim non est hoc humani cerebri inventum: sed ex apertissimis sacrarum literarum locis de promtum oraculum. Deinde observandum est, tantum abesse, ut per hoc aliquid Dei Patris gloriae detrabatur, ut id potius ad summam Dei gloriam spectet. Hinc enim apparet, Deum illum unum, non tantum tales esse, qui omnibus absolutè imperet: verum etiam tales, qui alium etiā talē efficere potuerit, qui nomine & vice Dei, potestatem tamen ab eo consecutus, absolutè in Ecclesiam vel populum Dei dominium habeat. Majus autē divinitatis opus est, alium, absolutum & sibi parem dominum efficere, quam absolutum esse Dominum. Quis, (ut exemplum rem illustrem) ex eo, si dicatur, Apostolos ea miracula fecisse, quæ Christus non fecerat, vel majora, quam Christus fecerat, (quod Christus futurum aperte promisit,) concludet, hoc in Christi ignominiam cedere, vel aliquid ei detrahi? imo quis ex eo ipso, non agnoscat summam hac in re Christi potentiam, quod non tantum ipse miracula magna facere potuerit: verum etiam maiora, quam ipse fecerat, faciendo potestatem aliis concederit. Quod enim Apostoli fecerunt, id totum in Christi gloriam cedit. Præterea, si quis rem paulò altius consideret, experietur, Deum hac ratione voluisse etiam sagacissimis hominum ingenii satisfacere, & spem illorum, modo omnium perfectissimo, certam reddere, cùm scilicet eum, qui salutis nostræ princeps & autor fuit, ita exaltavit, ut penes cum sit absoluta salutem æternam dandi, quibus velit,

bus velit, potestas: & nescio quomodo nos abripere potest, & tantum non cogere ad fidem Deo habendam, si serio & religiosè id consideremus. Sed nolumus nunc plura hac de re dicere: judicio proborum ista ruminanda proponimus. Overè igitur divinum Regem Iesum Christum, qui, loco Dei quodam modo, populi divini Rex est.

Deinde, non minus etiam hoc regni Iesu Christi, quod in omnes homines extenditur, divini indicium est: Quod non tantum, ut reges mundani, ea cognita habet, quæ homines faciunt, aut loquuntur: sed etiam divino modo animos eorum & corda scrutatur, & nihil esse potest in abditissimis mentis humanæ penetralibus, quod non sit obvium & expositum oculis Iesu Christi; ideoque non tantum præcepta, quæ ad externa facta & dicta pertineant: sed etiam, quæ ad interna animi cogitata pertingant, præscribere; & pœnas etiam, quæ non tantum corpora, sed etiā animas hominū affligant & perdant, irrogare potest, quæ omnia & singula solus tantum Deus facere potest. *Quis enim est, qui corda & animos nostros perspectos habeat præter solum Deum?* Ipsius hoc est quasi proprium epitheton, quod sit *καρδιογνωστός*. Nemo neque hominum, neque Angelorum, sive malorum, sive bonorum scit, quid homo animo suo conceptum habeat; & potest homo decipere omnes: Solus Deus est, qui novit corda nostra, & rectius, quam nos ipsi. Talem autem Christo Iesu dedit Deus ille summus potentiam & sapientiam, ut omnia nōrit ita, ut ipse Deus. Quæ lex humana unquam ad cogitationes mentis pertingit? Nulla sanè. Nec mirum. Cùm omnium legum politicarum & humanarum is sit præcipuus finis, ut justitia & societas humana conservetur: At cogitando nemo alterum injuriā afficere, aut eidem nocere potest. Solus Deus legem hominibus posuit, ne concupiscerent, quam deinde mirum in modum auxit Iesus Christus, ita ut non tantum velit, nos a peccato ipso concupiscentia alienos esse: sed etiam ab eodem abhorrire, & illud odiisse, ita, ut ad perpendam summam felicitatem satis sit, peccatum non odiisse. *Quis denique hominum, vel regum, ac dæmonum in animos hominum ullam habuit potestatem?* Corpora punire, affigere, & perdere homines possunt; interim animus semper potest esse liberrimus, nec potest quisquam alicujus animam perdere: Solus Deus ies est, qui hoc facere potest, ut Christus ait: *Ne timeatis eos, qui corpus occidunt, & deinde quid amplius faciant, non habent: Sed ostendam vobis, quem timere debeatis.* Timete eum, qui postquam occidit, potestatem habet conjiciendi in gehennam, *Vt iq; dico vobis, hunc metuite.* Talis autem nunc Iesus est, Rex noster. Nam is nunc nobis Dei loco est: is nunc omne judicium habet. Overè divinum

2. Argumentum  
divinitatis regni  
Christi in homi-  
nes.

igitur Regem, Iesum Christum, qui animos hominum divino modo cognitos, & in eos divinam potestatem habet.

## C A P. X X.

## De abrogatione legis ceremonialis &amp; Judicialis.

s. Argumentum  
divinitatis regni  
Christi in homi-  
nibus.

**T**um divini Iesu Christi in homines imperii indicium & hoc est, quod novum planè, veteri sublato, Deum colendi, & piè vivendi, genns & modum, hominibus præscripsit. Nam, qui antea ab hominibus observabatur cultus Dei, & vivendi modus, licet ab ipso Deo institutus & commendatus esset, is a Iesu Christo rege populi divini penitus abrogatus est, quatenus quidem ceremonialis erat. Adeò ut etiam præceptum Decalogi quartum, de Sabbato observando, quatenus scilicet ceremoniale erat, totum sublatum sit. Quanquam etiam ipsa lex judicialis per eundem abrogata esse censi debet.

Cur Deus nolue-  
rit D. Iesum legē  
ceremonialem  
abrogare, quan-  
diu in terris de-  
gebatur.

Gal. 4. 4.

Cur lex ceremo-  
nialis abrogata  
fir.

Eph. 2. 15.

Gal. 4. 4.

Rom. 12. 1.

2. Peter. 3. 2.

Quod enim ad ceremonias attinet, quemadmodum Deus noluit Iesum Christum aperte aliquid, quod in lege præceptum erat, tollere, quandiu in terris degit, & munus Propheticum obiit, ne scilicet justam eum repudiandi causam habere viderentur, satis alioquin refractarii, Iudei; & si tamen aliquid hujusmodi in Christi verbis inventur, illud tunc temporis, cum in terris degeret, ita tecum dicitum fuit, ut nemo omniū illud animadverterit, immo voluit D<sup>e</sup>s Iesum esse Legi subiectū, & ipse etiam Dominus Iesus, quandocumq; accusabatur, quod aliquid legi faceret contrarium, nunquam legitur istam suam libertatem jaſtas, vel eā ſe defendiffe, sed semper rationes acutulit validissimas, quibus probavit, se nihil contra legem Dei facere: Sic etiam vicissim, noluit Deus, Iesum Christum, novum populi divini Regem, secundum veteres leges eundem gubernare: sed ut novam etiam legem, populo suo novo traderet, destinavit; ideoq; etiam Deus talem legem olim dederat, quae & mutationem & correctionem admittere posset. Omnia enim ceremonialis legis præcepta tantum a voluntate legislatoris pendebant, adeò ut nulla recta ratio dari potuerit aut possit, cur Deus ea præscriperit, & ideò etiam δόγματα, hoc est, placita appellantur ab Apostolo. Quam imperfectionem Deus, pro sua infinita sapientia, ad tempus tulit, donec tandem perfectio, vel plenitudo temporū, & virilisq; etas, respectu istius puerilis legalis, veniret. Vbi jam omnia, non ex sola voluntate sua, tanquam legislatoris, pendere Deus voluit: sed ab ipfissima ratione. Unde etiam cultus hominum Christianorum λογικός: & lac illud, quo homines

nes Christiani conservantur, hoc est, Evangelium Iesu Christi *λογικός* appellatur, respectu istorum dogmatum. Tota enim religio Christiana, & omnes ejus partes, adeò sunt rationi rectæ consentaneæ, ut nihil magis, quantumvis rationem humanam omnino superent. Itaq; deplorandi sunt isti omnes, qui hodiè ex religione Christiana fecerunt chaos quoddam, quod neq; merè Christianum, neq; Iudaicum, neq; Philosophicum, sed ex his tribus quartum aliquid est, quod tamen totum nihil cum recta ratione commune habet, & ita sanctissimam religionē Christianam, infidelibus Iudæis, & detestabilibus Turcisridendam proponūt.

Sustulit autem Dominus Iesus, Rex populi divini, legem ceremonialem, partim expressè, partim tacite. Expressè quidem per Apostolos, in primis verò per Apostolum Paulum, qui potiorem legis ceremonialis partem, simpliciter & directè sustulit, ut ex ipsius literis ad Galatas & Colossenses videre est, in quibus circumcisionem, observationē Sabati & ciborum, tāquam res ad salutē non necessarias, admodum elevat. Quæ verò ceremoniæ expressè sublatæ non sunt, ex nihilominus pro abrogatis censendæ sunt: tum propter proprietatē novi Fæderis: tum propter eandem causam, ob quam exæ, quas expressè abrogatas esse vide mus, abrogatæ sunt. Proprietas novi Fæderis ea est, quod totū est Spirituale, & in internis rebus consistit: Ceremoniæ autem sunt res extérnæ, & per se carnales, nō Spirituales; idèq; nisi de hujusmodi ceremonia, in ipso novo fædere, expressum sit ipsius Christi præceptum, (quale de cæna Domini extare, omnes fatentur, & nos suprà docuimus) non debemus statuere, eam in novo fædere, esse observandam. Causa verò, ob quam ceremoniæ quædam expressè sunt abrogatæ, ea est, quod istæ ceremoniæ umbra tantum erant futurorum, quæ jam impleta & nobis in novo fædere exposita sunt. Ut enim uno atque altero exemplo rem totam declarem, quid rationi consentaneum, quid reipsâ & corporaliter (ut Apostolus loquitur) erat in circumcisione & sabbatis? Quæ tamen duo, & olim a Iudæis, pro præcipuis religionis illorum partibus habebantur, & nunc etiam habentur. Nonne utrumque a sola voluntate legislatoris pendebat? nonne umbra erant, circumcisione quidem istius signi, quo nunc differunt omnes Christiani ab aliis hominibus, circumcisionis scilicet cordis, vel exutionis, ut Apostolus loquitur, aut spoliationis corporis peccatorum carnis, hoc est, omnium peccatorum carnalium: quemadmodum olim, spoliatio unius particulae in uno membro corporis, signum erat populi Israëlitici, quo ab aliis gentibus differebat. Ita enim exutio vel spoliatio omnium peccatorum carnis, est Christi circumcisione, ut ibidem Apostolus ait, hoc est,

Christiana religio rationi consentanea est.

Quomodo legem ceremonialem Christus sustulerit.

GAL. 4. 10.  
Eph. 3. 2. Eccl.  
Col. 2. 8. Eccl.

Col. 2. 9.

Cur sublatæ sit circumcisione.

Col. 2. 11.

nota

Jacob. 2. 2.

nota vera populi divini, qualem Christus requirit. Appellatur autem circumcisio Christi, exutio corporis peccatorum carnis, eo modo, quo fides Christianorum, fides Christi dicitur, nempe quod Christus eam docuerit. Cujus circumcisionis Christianæ professionem tum temporis faciebant, & etiamnum faciunt, quicunque baptismo aquæ tinguntur. Hac enim ceremonia Christi corpori inserebantur. Qui verò Christi corpori inseruntur, illi præferunt, vel profitentur, se jam vel spoliatos esse corpore peccatorum carnis: vel saltem se propositum habere, ut isto corpore peccatorum carnis sint exuti, & ab eo liberi. Hoc igitur quoniā successit, quod res ipsa & corpus est, ut Apostolus loquitur, quid opus fuit istam ceremoniam diutius durare? vel potius, quomodo ea diutius durare potuit?

Cur sublatum  
Sabbatum.

Col. 2. 16.

Matth. 11. 28.

Heb. 4. 9.

Ioh. 4. 21.

Alia causa su-  
blatæ legis cere-  
monialis.

Sabbathi, hoc est, istius septimi diei observatio, per se etiam planè ex divina tantum voluntate pendebat, & nulla causa urgens est, cur a populo Christiano strictè & præcisè observari debeat, ut testantur verba Pauli, dum ait: *Nemo vos judicet in cibo & potu, vel in parte festi, in novilunio & sabbatis,* hoc est, ne curetis, si quis idèò vos parum religiosos esse credit, quod istiusmodi ceremonias non observetis. Vmbra proculdubio, istud sabbatum, vel ista quies, fuit, quietis alicuius futura singularis, nempe, quod, quemadmodum sub lege Deus voluit populum suum quiescere a laboribus profanis, & quiete frui uno die, eumque cultu divino tractando consumere: sicut iam post labores & molestias, quas homines perpetuò sentiebant, qui peccatorum reatu tenebantur, & metu mortis captivi detinebantur, voluit Deus ille benignissimus, eos quiescere, & refici ab ista molestia & labore, spe quietis alicuius cœlestis, quam Deus nobis per Iesum Christum fecit, & quâ homines Christo dediti fruuntur in sua conscientia, quâ & Deum se propitium habere sentiunt; & spem certissimam habent, istam quietem, quæ etiamnum restat populo Dei, tandem consequendi. Hoc quia jam reipsa impletum est, quid opus est amplius istâ umbrâ, ut scilicet certo die quiescant homines a laboribus manuum suarum? *Quod ad cultum divinum, qui die sabbathi Deo exhibebatur, attinet, is non tantum potest, sed etiam debet, hodie singulis diebus, a populo Christiano Deo exhiberi.* Si quidem in omni loco & tempore Deus potest adorari, & coli vult in spiritu & veritate. Et hactenus de una maximi momenti causa, cur præcepta legis ceremonialis abrogata sint.

Sed præterea, ipsa promissorum novi fæderis perfectio, requirere quodammodo videbatur, ut præcepta etiam eis corresponderent. Promissa

missa nunc data sunt vera & solida , quibus anteà lex planè carebat. Iustum igitur erat , ut præcepta etiam essent earum rerum, quæ veram ac solidam pietatem & justitiam hominis continerent , iisque convenienter , qui naturæ divinæ, si ea conservassent, participes fieri digni aliquid habendi essent. Nec verò Deus, cùm olim prædictis, leges, quas Iesus abrogavit , duraturas in æternum, sibi ipsi eas abrogandi potestatem ademit , per quemcunq; tandem id facere aliquando constituisset: sed populo ipsi omnem potestatem adimere voluit, eas , quicquid illis parum Deo dignæ esse viderentur,abrogandi.

Quanquam,præter has causas,de quibusdam ceremoniis legalibus statuendum est , eas ideo pro abrogatis habendas esse , quod tantum ad vetus fædus pertinere potuerint , nullo verò modo ad novum , quales sunt Festum Paschatis , & Tabernaculorum. Hæ enim & aliæ similes non possunt pertinere,nisi ad populum Israëliticum , qui solus sub veteri fædere Dei populus erat : cum sub Novo,extranei ad Deum per Christum conversi,maxima parsint populi divini.

Quod si quis objiciat , cur in sacris literis dicatur , chirographum istud decretorum cruci affixum , & , per mortem Christi, quasi discerptum fuisse ; & per carnem Christi inimicitias illas sublatas , quas lex ceremonialis pariebat , (quæ erat quasi paries intermedius inter Iudæos & ethnicos,)quod hoc in loco nos totum potestati Christi,quam in cælum exaltatus demum consecutus est,tribuimus? Huic in memoriam revocandum est id , quod suprà diximus , cùm de morte Domini Iesu ageremus, nempe, per modum quendam loquendi figuratum,id tribui morti Christi, quod,morte illa interveniente, factum est per Christi potentiam,& absq; illa morte fieri non poterat. Quo observato,peregregiè totum illud confirmari potest , quod suprà de morte Christi docuimus. Nimis enim certum est , per ipsam mortem Christi, legem ceremonialē sublatam non fuisse: sed , morte interveniente , Iesus evasit tantus Dominus,qui omnia potest,quæcunq; vult. Quanquam,ut nihil reticeamus, in ipsa etiam Iesu Christi morte peregregiū aliquid est , per quod intelligi potest,legem ceremonialē fuisse abrogatam. Certum enim est , Christi mortem , confirmationem etiam esse , eamq; maximī momēti , doctrinæ ejus.Nemo enim sponte sua,sciens volens, ideo mori cupit, ut confirmet id , quod falsum esse ipsem̄ novit. At doctrina Domini Iesu Christi, qui mortem oppetiit, nihil planè tradebat de lege ceremoniali , sed alium modum Deum colendi hominibus proponebat. Existente igitur doctrina alia tam perfecta , eaq; perfectè confirmata, certum etiam esse potuit,illam priorem legis doctrinam abolen-

Vnde præterea constet, quasdam ceremonias legales esse sublatas.

Col. 2. 14.  
Eph. 2. 14, 15.

Cur sublatio legis ceremonialis morti Christi tribuatur,

dam esse: illam verò, recens tām perfectè confirmatam, duraturam. Et haec tenus de abrogatione legis ceremonialis.

Quomodo subla-  
ta sit lex Iudicia-  
lis.

Quòd verò ad legem judicialem attinet, eam tacitè abrogatam esse, statuendum est, quanquam causa, cur sublata est & abrogata, manifestæ sunt & apertæ. Quarum prima hæc est, quòd sub veteri fædere timor & severitas in primis locum habebat: At sub Noyo fædere benignitas & miseratio. Altera est, quòd sub Novo fædere perfecta promissio facta est vitæ æternæ: Vetus autem fædus aliud nihil promittebat, quam bona terrena. Tertia, quòd sub veteri fædere populus Dei suam habebat politiam, & terrenam Rempublicam. Qualem cùm hodie Christiani, quatenus Christiani sunt, nullam habeant, illis etiam legibus judicialibus locus esse non potest.

Quod tamen non ideo dicimus, quasi, Politias nullas esse debere, credamus. Didicimus enim, omnem magistratum a Deo esse, & legibus Politicis omnibus esse parendum, quatenus præceptis divinis non contradicunt. Tùm enim plius oportet Deo obtemperare, quam hominibus. Hoc tamen putamus vicissim esse omnibus illis observandum, penes quos summa rerum est, ne quicquam committant unquam adversus Christi leges, & in primis adversum illam capitalem & Regiam legem Iesu Christi, quę est charitatis. In quo tunc maximè peccatur, si gravius in delicta animadvertisse sub Evangelio, ubi est tempus gratiæ: quam olim sub lege, ubi erat tempus timoris & severitatis, animadvertebatur. Cujus rei prolixior tractatio non est instituti operis nostri.

## C A P: X X I.

## De reliquis divinis Regni Christi in terra effectis.

4. Argumentum  
divinitatis regni  
Christi in homi-  
nibus.

**I** Am verò ad alia pergamus, ex quibus Christi regnum in omnes homines divinum appareat. Hoc igitur in primis h̄ic considerandum venit, quòd Iesus Christus, nec modo humano homines sibi subjugat: nec eos humano modo in officio retinet. Homines enim plerumq; per vim & metum alios sibi subjugant, & eosdem per vim, & metum in servitute retinent. unde fit, ut, quotquot hominum sunt servi, malint esse ab eorum, quibus serviunt, servituteliberi, si possint; officium non faciunt, nisi vi coacti, & semper putant se plus dominorum suorum causā facere, quam tenentur: At Iesus Christus, Rex cælestis, neminem ad serviendum sibi cogit: sed, ut est in Psalmo, Populus illius promissimus est, Misit primūm Apostolos, homines omnium inopes, inermes, infirmos.

Psal. 110. 3.  
Modus subjicien-

**infirmos.** Hi neminem ad fidem cogere potuerunt , nec porro coegerunt: sed tantum id , quod sibi injunctum erat , mundo revelarunt, Iesum nempe Nazarenum ex mortuis resuscitatum, vivere & regnare in cælis ; & velle omnibus illis , quicunq; sibi fidem haberent , dare illam promissam a se immortalitatem & vitam æternam. Hujus rei promissio, tantum in hominibus probis & sanabilibus valuit, ut sponte sua, abjuratis paternis religionibus, Christi religionem, quantumvis non tantum religioni eorum antiquæ, sed etiam affectibus contrariam, & mille afflictiones, mille mortes eis minantem, reciperent. Eosdem ita semel allectos, nulla etiam vi retinuit Christus : Liberum fuit semper omnibus, Christo valedicere: sed istius immortalitatis tantus amor, & tanta in Deum per Iesum collocata fides , tantum valuit semper , ut raro auditum sit , aliquem eorum , qui semel Iesu Christi religionem cognoverant, de ea abjicienda vel cogitasse quidem. Allicit igitur ad se, & retinet apud se, Dominus Iesu omnes homines, solo suo verbo, & ejus prædicatione : per hoc mirabili quodam gaudio quotidie perfundit mentes eorū, qui verè ei credunt, adeò, ut neminem unquam pænituerit Iesu Christo serviisse: at, eidem non serviisse, pænituerit plurimos: Nemo unquam Christianorum vel dicit vel cogitat, se Christi causâ plus facere, quam teneatur : Beatos se putant omnes, non tantum vulgares homines, verùm etiam principes Christiani, si possint quam ardentissime Domino Iesu servire: multa millia talium servorum habuit Iesus Christus, quibus, pro illo bona prodigere, & vitam perdere voluē fuit, quācum vix unum multi reges habuerunt; & si unquam accidit, ut tales haberent, pro miraculo id reputatum fuit. O verè igitur divinum Regem Iesum Christum, qui solo verbo regnum suum administret.

**Quod** verò ad eos attinet, qui Christum profitentur, interim tamen eidem reipsâ adversantur, inter eos mira est divini Christi regni efficacia. Nam, quantumvis multa proponant, & cogitando concipient, quibus eversam vellent Christi religionem: tamen, præter solas cogitationes, nihil aliud præstare possunt. Disponit enim id Dominus Iesus, quod illi proponunt. Qui verò eundem & profitentur, & verè eidem confidunt, inter hos singulari planè modo regnum suum exercet, & verè caput eorum, hoc est, rectorē benignum sese præstat. Cogitemus enim cum animis nostris , quale fuerit Iesu Christi regnum ab eo tempore, quo in cælos ascendit, in populum suum, sive professione talis fuerit, sive reipsâ. Administravit Iesus Christus ab eo tempore, quo in cælos ascendit, Ecclesiam suam, quandiu in flore fuit, adeò, ut nihil unquam, simile Ecclesia Iesu Christi, hic mundus viderit : Sena-

di homines divi-  
nus.

Modus regni  
Christi divini  
in Christiano  
professione.

Modus regni  
Christi divini  
in veros fideles.

*Apoc. 1.16.**G. 13.  
A. 2. 41.**A. 9. 17.  
2. Cor. 9. 1.  
2. Cor. 12. 2.**A. 2. 15.**A. 2. 5. 5, 10.  
E. 13. 16.*

**Modus Christi  
regni divinus in  
Christianos cor-  
ruptos.**

*A. 2. 20. 29.*

tum ei dederat verè divinum, Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Doctores, Episcopos, Pastores, Ecclesiæ suæ numina: Extabant miracula in ea verè divina, ut paulò ante docuimus: In manibus suis gestabat Dominus Iesu, stellas Ecclesiarum suarum, hoc est primarios ejus inspectores: peculum Iesu Christi erat ejus Ecclesia. O miram tunc omnium rerum jucunditatem, & aurea istius Ecclesiæ tempora, cùm Iesu Christus quotidiè versaretur in medio istorum candelabrorum aureorum: cùm catervatim multa hominum millia ad Iesum Christum converterentur, & tām brevi temporis spatio in tām ingentem numerum Ecclesia ejus excresceret: cùm Iesu Christus, quibusdam, & inter hos primo martyri suo se se vivum conspicendum præberet: cùm etiam in cālum cum raptum, quem primum Evangelii præconem inter extra-neas gentes esse voluit, omnia ibidem edocuit, quæ ad Christianam religionem pertinebant, & ea verba ei revelavit, quæ non licet homini loqui: cùm ipse Iesu Christus, per Spiritum suum, præsideret Synodo Hierosolymis congregatae: cùm miraculoso modo, Apostolorum suorum vitam omnem gubernaret, & per eorundem innocentiam planè Angelicam, miracula planè divina, & tandem per varias eorum mortes, suam ipsius gloriam quotidiè illustriorem redderet: cùm eos, qui Apostolis mentiri, & eis se se opponere audebant, & morte repentina, & morbis insperatis, nempe cæcitate, puniret: cum Iesu Christus, tanquam sponsus sponsam, ita Ecclesiam suam tenerimè tractaret. O felices animas, quibus tunc vivere contigit, si felicitatem suam novissent. Postea verò quām, Apostolis vitâ defunctis, res Christianæ religionis pejus habere cāpēre, (statim enim ab Apostolorum obitu introierunt lupi rapaces, qui gregi Domini non pepercérunt) o quām teneram & paternam nihilominus, eorum, qui veritatem firmiter tenebant, & quibus pietas cordi fuit, curam gessit D. Iesu, cuius, inter alia, documento sunt ea, quæ in 2. & 3. cap: Apocalypsis leguntur. Quomodo corundem, cum ab aliis premerentur, animos ita confirmavit, ut mori maluerint, quām turpissimâ defectionis a Iesu Christo notâ fædari: interim eos, qui tām petulantes erant, ut Christianam religionem susque de que haberent, adeò graviter punivit, ut per tot secula pauci admodum fuerint, qui Christi religionem, quam omnes profitebantur, reftè intelligerent: imò, cùm vix speciem ejus haberent, ipsam se religionem tenere sognarent. Quod si non apud omnes, certè apud eos, qui veritatis divinæ studiosi sunt, mirandum fuit divini regni Iesu Christi argumentum: Cùm scilicet homines nollent a Christo regi, secundum ejus salutarem doctrinam: regnum tamen ejus divinum ita experti sunt, ut veritatem,

ritatem fastidire, cultum Dei prophanare, idololatriæ semina jácere, pietatem odisse eos oportuerit: pñæ etiam & supplicia, modo in certos homines, modo in urbes & regna extabant perpetua: In dies in pejus ruere omnia. Quòd magis homines religioni dediti esse videbantur: tantò magis a veritate aberrabant; & quòd religiosiores esse volebant: tantò superstitiones evadebant. O supplicii genus horrendum, & soli Deo proprium.

Sed præterea, divini regni in terra Iesu Christi non postremum hoc est argumentum, Quòd, etiamsi omnes adversus eum conspirent homines: tamen is absolutus eorum Dominus & Rex esse non desistit. Tām enim potestatem in eos absolutam tunc habet, ac si ei parérent. Et si, inter eos, qui adversus eum consurgunt, superstites sint aliqui, qui cum illis rebellibus non conspirat, & ita invidiæ illorum perpetuò sunt expositi, potest eos, inter medios hostes, Iesus Christus, ita per se & tucri & defendere, ut ne pilus quidem capitis illorum periire, ipso invito, possit. Quām perfectè denique Christus, tunc etiam, cùm nullus esse videtur, qui ei pareat, regnet, & divino modo regnet, hoc insuper unum manifestè docet, maxima omnino consideratione dignissimum: Cùm omnia ad interitum & ruinam religionis Christianæ inclinata esse viderentur, Antichristo scilicet in templo Dei, nempe Ecclesia Christi, dominante, & se pro omnium simul & servo & Domino nimis astutè venditante; cùm nemini, ne mutire quidem adversus placita hominum, quantumvis religioni Iesu Christi contraria, liceret; cùm pluris fierent constitutiones, decreta & traditiones hominum, quām sacro sanctum & divinum Iesu Christi Evangelium; cùm, nescio cui Ecclesiæ, nihil non licere credebatur; cùm totus Dei cultus, tota pietas, ex istius Ecclesiæ commentis peteretur, quod etiam nūm hodie istic locorum, ubi Antichristi regnum viget, fieri videmus & audimus; cùm tanta, inquam, esset omnium rerum corruptio, & tantus religionis Christianæ contemptus, quis est, qui non miretur, quòd diabolus, qui jam ita elevârat sacras literas, ut tota eorum autoritas, a nescio qua Ecclesia, & verbo Dei non scripto, penderet, non conatus sit eas planè tollere. Hac enim ratione optimè omnium sibi & cause sue consuluisse. Vnde enim his sublatis, veritas salutifera peti potuisset? Nos sanè persuasi sumus, evidentissimum tunc temporis, si unquam alias, divini Iesu Christi regni apparuisse documentum: Imò, quoties hoc nobiscum reputamus, toties Iesum Christum humiliiter adoramus, & sacro sanctum ejus nomine religiosè celebramus, quòd tantum nobis thesaurum sartum tectū conservarit. Credimus enim, non voluntate istorum hominum, totum hoc factum

Modus regni  
Christi divini in  
Christianos re-  
belles.

2.Thef. 2.4.

factum esse: sed Iesu Christi potentia & gubernatione. Is, ut filius domus illius divinæ, non permisit, ut id fieret, quod, ad eam funditus evertendam, multum omnino valuisse. Nam aut non permisit D. Iesus, ut hoc eis in mentem veniret: aut si unquam id eis in mentem venit, non permisit, ut effectum suum consequeretur. Sic scilicet Dominus Iesus Rex noster, inter medios hostes suos, divino modo, regnavit: *Quia nimis voluit aliquando tandem Ecclesia sua afflita iterum misereri, & eam ex isto errorum Antichristi labyrintho extricare, arma etiam ei superesse voluit & gladium; quo armata ipsa, posset Christi hostem repellere & profligare, & omnes Antichristi fallacias, dolos, errores, idolatrias, impietas, primum in lucem producere, deinde etiam solidissime refutare, & tandem veritate in sentibus obsitam excolare.* Itaq; quod hodie S. literas, quibus nihil preciosius a divinitate in humanum genus collatum est, sartas teatas habemus, hoc totum Domino Iesu Christo, & ejus divino regno debemus.

Modus regni  
Christi divini  
in reformatis  
Christianis,

Iam si pergamus, ab iis temporibus, quibus veritas divina, quæ per tot secula proculata fuerat, denuò caput aureum erigere, & affulgere hominibus cepit, Christi divinum imperium considerare, ecquis est, qui non confiteatur, divinum Regni Christi opus fuisse, quod in tanta servitute, quantâ ante unum seculum omnia Europæ regna premebantur, unus homo, & deinde cum illo, alii pauci infirmi, & si eos cum illis conferas, quibus cum rem habere cœperant, obscuri, bellum Spirituale toti Monarchiæ Antichristi publicè indicere ausi fuerunt, & rem ita feliciter gesserunt, ut paucis annis, infinitæ hominum myriades, inter quos plurimi fuere, & pietate & multiplici eruditione insignes, ab Antichristo defecerint: imò integra regna & Reges, quicquid Antichristus fremeret, valedicto illius commentis, ad Christi solius vocem, & Evangelium sese cōverterint, & spes sit, posteaquam Deus, sanctissimam Iesu Christi religionem, quæ per multa secula sensim corrupta fuit, sensim etiam excoluerit, eam ab omnibus cordatis & probis tandem approbatu iri. Quod opus divinum fuisse & esse, hæc, inter alia, testantur, quod a tam paucis & tam infirmis cepit: & tamen tam celeriter ad tantam perfectionem pervenit; quod tot martyria hominum innocentissimorum extitère, quot nullum unquam meminit seculum; quod tanta deniq; virorum, incomparabili eruditione præstantissimorum, hoc uno seculo, multitudine extitit, quantum multa secula præterita recensere nō possunt, qui nemini omnium illorum, quos cunq; post tempora Apostolorum Doctores habuit Ecclesia Iesu Christi, rerum divinarum, lingua-  
rum & artium ad eas intelligendum necessariarum, cognitione cedunt.

Quod

Quod qui nō videt, is sponte sua cæcutit. Nostrum est, quos Deus veritate sua illuminavit, ista omnia religiosè considerare, & tempus visitationis divinæ agnoscere, & cum Apostolo dicere: *Ecce nunc est tempus accepitabile: Ecce nunc dies salutis.*

Sed nunc breviter etiam attingamus, quænám sit Christi divina potētia in eos, qui populus ejus non sunt, occasionem tamē olim habuerūt, ut populus ejus fierent, si voluissent, quales esse suprà diximus omnes Iudeos, & Turcas, & fortassis etiam nonnullos ex iis, qui hodie ethnici sunt, & vix aliquam religionem habent. Regnat igitur Iesus Christus, & quidem divino modo, super illos, quòd eos ita excæcavit, ut, etiam si quam maximè velint, haçtenus eum cognoscere nullo modo possint, donec tandem eorum iterum misertus, ostium veritatis Evangelicæ eis aperiat. Quod ipsum nimis evidenter docet, divinam eam pænam esse, quæ ita eos persequitur. Interim tamen eos non omnino debet: imò, quod in Turcis videre est, permittit eos mirum in modum crescere, ut primùm, omnes homines occasionem perpetuam & durantem habeant, extimescendi ejus hoc divinum regnum: quemadmodum etiam, eadem de causa inter alias, Deum haçtenus diabulos non delevisse, credibile est. Deinde, ut hac ratione, hominum improborum malitiam traducendi, perpetua extct occasio. Nam qui improbi sunt, illi ex eo, quòd in rebus his terrestrib⁹ ex sententia aliis impiis succedit, libenter concludunt, rectè, vel saltē non omnino malè, istos impios sentire de religione: interim verò verbum Dei spernunt, quod pænas divinas impiis semper minatur. Denique, quia ingens est malitia & corruptio gentis Christianæ, eum etiam esse oportet, quo, tanquam flagello quoddam, rex ipsius ad eum puniendum utatur. Itaq; fit, ut quotidiè potentiorē esse oporteat eum, qui aliis damna infert perpetua, & sic damna inferendo ditefecit. Servat autem nihilominus Dominus Iesus, istos omnes, extremo tandem suppicio afficiendos. Et quod ad Iudeos attinet, de his spes esse videtur, fore, ut ante Christi adventum denuò ad eum convertantur, quatenus nimirum occasio eis dabitur cognoscendi veritatem Evangelicam. Quod tūm fiet, cùm omnia ista dogmata puerilia, ridicula, absurda, erronea, falsa, blasphemæ & horrenda, a Christi religione separabuntur, quæ haçtenus obstiterunt, quò minus Iudei ad Christum converterentur. Interim verò in omnes eos, qualescumque tandem sint, sive Iudei, sive Turcae, sive Ethnici, Christus Iesus imperium divinum habet, & illud ita in eos exercet, ut, quicquid hodie pænarum, quicquid mutationum inter eos appareret, id totum Christi divino imperio jure ascribi possit. Omnis illorum potestas

*2. Cor. 6. 1.  
Modus regni  
Christi divini in  
Iudeos & Tur-  
cas.*

testas in manu Iesu Christi est , & nemini eorum, qui Christo verè confidunt, nocere possunt , nisi quis fortasse Deum tentet, & se metipsum in periculum præsentissimum conjiciat.

Quod denique ad eos attinet, ad quos Christi regnum extendi potest, credimus, eos omnes, qui nunquam vel de Deo, vel de Iesu Christo quicquam audiverunt, & ita in Christi regno propriè non continentur , tamen etenim ad illud pertinere , quatenus Christus facultatem habet, Evangelium & salutem eis patefaciendi , vel non patefaciendi; & quatenus eos in pristina conditione & perditione eorum, salvâ justitiâ, relinquere potest. Atque hæc quidem de eo, quam latè Christi regnum in homines pateat, sufficient.

Præter homines verò, sunt in terra alia per plurima, quæ ab ipso Deo hominis causâ creata sunt , de quibus idem sentimus, quod paulò ante de rebus , quæ in cælo sunt a Deo scilicet creatæ, diximus. nempe Iesum Christum, potestatem eorum absolutam & divinam habere, si scilicet eis ad promovendum regnum suum opus sit. Alioquin enim statuendum est , ista omnia ita consistere & gubernari antiquo illo Dei summi, qui ea creavit, imperio. Ipsa terra, ipsum mare, & quicquid est animalium & rerum in terra, & in mari, ita Christo subjecta sunt, ut, quandoconque velit, possit ea ad usum populi sui, & necessitatem regni sui convertere, adeò ut etiam possit esurientibus cibum dare, hostes & bella avertere, itinera dirigere , & nihil non facere, quod ex fidelium suorum sit; vel impedire, quod eis noxiū esse possit. Ex quibus omnibus putamus, tandem satis superque apparere , nihil verius dici posse, quam Iesum Christum regnum habere, idque verè divinum, ut in cælo, sic etiam in terra.

## C A P: XXII.

*De complemento regni Christi.*

**H**Actenus de regno Christi diximus , quale quidem & quantum fuerit, & etiamnū sit ab eo tempore, quo Dominus Iesus in cælos ascendit; At nunc operæ precium est , pauca etiam dicere, de complemento regni Iesu Christi divini. Hoc autem complementum regni Iesu Christi tunc fiet , cùm non tantum, ut nunc, potentiam habiturus est omnibus imperandi: verùmetam re ipsâ istud imperium in omnes exercebit. Legitur enim in S. literis, Christum regnaturum, donec ei omnia subjiciantur. Nunc verò, ajunt eadem S. literæ, nondum

Modus regni  
Christi in mere  
ethnico.

Christi regnum  
divinum in ipsam  
terram, & terre-  
stria omnia.

Quid sit comple-  
mentum Regni  
Christi.  
*Ez Cor. 15. 25.*

nondum videmus omnia ei subiecta. Et hoc complementum regni Christi respiciens Apostolus , dixit , Iesum Christum judicaturum vivos & mortuos per adventum suum , & regnum suum , non quod tunc demum regnum Iesu Christi initium habiturum sit : sed quod tunc verè complementum suum accipiet. Tunc enim , cum Dominus Iesus vivos & mortuos judicaturus est , suprema illius , secundum Deum , potestas declarabitur , & mors ipsa , deterrimus atq; perniciofissimus inter Christi hostes , abolebitur , quam etiam Apostolus vocat ultimum hostem , quia scilicet in reliquis hostibus Iesu Christi multa exempla statuta fuerint , ante ipsius adventum illum ultimum . De Diabolo enim , qui unus est ex primis hostibus Iesu Christi , legimus , eum bona parte sui diminutum esse , ut cùm Christus ait : *Iam princeps hujus mundi ejicietur foras* , & autor Epistolæ ad Hebr. ait : *Iesus per mortem abolevit eum , qui mortis habebat imperium , hoc est , diabolum*. Peccati etiam vires attenuatae adeò sunt , in iis , qui verè Iesu Christo obedient , ut Apostolus dicere non vereatur : *Qui Christi sunt , carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis* , & D. Iohannes addere non dubitavit : *Quicunq; ex Deo natus est , peccatum non facit , nec potest peccare &c.* Mundus deniq; Christi fidelibus crucifixus est , & illi mundo : At quoad mortem , nihil haftenus ab eo tempore , quo Dominus Iesus regnare cepit , apparuit , unde constaret , eum vel tantillum potestatis in eam habere . Nam præter solum Iesum Christum nemo ab ea unquam verè & perfectè liberatus fuit . Iesus Christus autem liberatus fuit ab ea , non sua , sed Dei virtute & potentia : reliquos omnes haftenus tenet mortis & inferni robur , nec ulla modò est differentia reipsâ inter eos , qui Deo & Iesu Christo , ex tota anima & toto corde servierunt , & inter eos , qui Deum & Iesum Christum spreverunt , & eidem maledixerunt . Omnes enim mors pariter absorpsit . Ese autem Iesum Christum , qui tam in ipsam mortem , quam in Diabolum , peccatum , & mundum , imperium habeat , testabitur demum ipsius ille adventus ultimus , in quo divinum regnum Iesu Christi perfectissimè in omnia & omnia ( solo tamen Deo excepto ) reipsâ apparebit , cùm scilicet ipsam etiam mortem abolebit , revocatis ex morte in vitam æternam & immortalem omnibus illis , quicunq; ab initio mundi hucusq; vel Deo vel Iesu Christo fideles fuerunt , & futuri sunt ad finem hujus seculi . Adeò , ut tunc demum appariturum sit , Christum esse reverè Dominum Davidis , Patris sui secundum carnem , cùm eum , ex mortuis resuscitatum , vitâ æternâ donabit . *Quin imò illud , quod de Deo Patre suo dixit D. Iesus , eum ideò esse Deum Abrahami , Isaaci , & Iacobi , quia illi omnes ei vivant , hoc est , ex mortuis*

Hebr. 2.8.

2.Tim. 4.1.

*1.Cor. 15. 26.*  
Cur mors sit ultimus hostis Christi.

*Ioh. 12. 35.*  
*Heb. 2. 14.*

*Gal. 5.24.*

*1.Ioh. 3. 9.*  
*Gal. 6.14.*

*Psal. 110. 1.*  
*Matth. 22. 43.*  
*Luc. 20. 30.*

tuis resurrecturisint, illud, inquam, totum per ipsum Iesum Christum tunc efficietur: per Iesum Christum, Deus ille unus, Deum sese exhibet Abraham, Isaaco, & Iacobo, quando eos Christus ex morte illa, a qua tot retrò seculis absorpti erant, resuscitabit.

Causa dilationis  
iudicii usq; ad  
diem ultimum.

Hoc autem Deus pro summa sua sapientia ad ultimum illum diem distulit, ut & gloriam suam illustrandi, & fidem suorum probandi tantò ampliorem haberet occasionem. Quāta enim, bone Deus, tunc apparabit Dei potentia, quanta bonitas, quanta sapientia, & qualis proinde gloria Dei elucescat, cùm omnes homines, quicunq; per tot retrò secula Deo confisi, eidem obedierant, jam in mille formas commutatos, & de quorum vita nulla spes supereesse videbatur, vivos sisset; & vivos, multò excellentiori modo, quām ante avixerant; & vivos sisset per eum, qui olim & ipse mortuus fuerat, & revixerat Dei potentia, Iesum Christum? Quātanta gloria Dei obscuraretur, vel saltem minueretur, si aliter fieret, nempe, si subinde alii fideles post alios ex morte liberati ad vitam æternam transferrentur. Quantò enim quis diutius in morte est, tantò miraculosior est, ejus, qui illum ex ea liberat, gloria. Hominum præterea fides hac ratione egregiè probatur. Nam qui probo sunt animo, illi etiamsi tandem differri promissiones divinas videant: tamen quia certissimas credendi causas alioquin habent, credūt: Reliqui verò, qui animo sunt improbiori, has leves causas arripiunt, & propterea, quia diures ista differtur, tandem concludunt, eam ablatum iri, & ut D. Petrus vaticinatur, rident istum futurum Domini adventum, propter istam potissimum dilationem. Quām tamen nihil impedire, quominus certò tandem futurus sit Christi adventus, D. Petrus declarat, dum ait, *Vnus dies apud Dominum, sicut mille anni: & mille anni, sicut unus dies,* hoc est, tantudem Deum impedit longissimum tempus, quām brevissimum; & tam facilè ei est, post mille annos aliquid facere, quām post unum diem, vel etiam horam. Causam, cur Deus tandem adventum filii sui differat, præter eam, cuius paulò ante mentionem fecimus, magni momenti afferens, Deum nempe nolle, ut homines pereant, sed velle, ut ad poenitentiam omnes perveniant. Ideò etiam Dominus ipse, promittens fidelibus suis vitam æternam, addit hæc verba: *Etego eum resuscitabo in die novissimo, tria scilicet innuens, quæ in datione vita æternæ consideranda sunt, nempe primū, datorem ejus, scipsum. Vnde perficissima certitudo ejus appetet. Deinde, modū dandi eā generalem, nempe per resurrectionem ex mortuis, hoc est, per novam eorum, qui esse desierant, existentiam. Tum etiam tempus, quo danda est, nēpe diem illū ultimū. Quod etiam Paulus confirmat, dum ait, Primitiæ (mortuorum)*

*a. Petr. 3-3.*

*1oh. 6,39,40,54.*

rum) Christus, Deinde ii, qui sunt ejus, in adventu ejus. Deinde finis, scilicet erit negotii istius salutis nostræ, quod per tot secula a Christo procuratum fuerat, ut sequentia verba declarant. Estq; inter ea, quæ Deus facere potuisset, ad certitudinem vitæ æternæ hominibus demonstrandam, si vim eis facere voluisset: facere autem noluit, ut scilicet locus fidei esset, hoc unum, quod in unam diem, post tot secula, totam rem illam distulit.

In die igitur ultimo reverâ & perfectissimè rex divinissimus esse Christus apparebit. Tunc enim omnes Angelorum exercitus cum eo convenient ad ultimum illud judicium, tanquam ministri ejus: Tunc omnes diabulos, & omnes principes hujus mundi, qui ipsius regnum veld deterrerât, vel etiam eidem nocere voluerunt & nocuerunt, efficiet verè subsellium pedum suorum; & omnem eorum principatū & omnē potestatem & virtutem funditus abolebit: Tunc omnes nationes terræ animas exhalabunt, præ metu & expectatione eorum, quæ eventura sunt: Tunc omnes homines ad tribunal suum congregabit, & rationem omnium factorum, & dictorum, & cogitationum deniq; ab eis reposcet: Tunc judicij illius severissimum decretum experientur, nō tantum vivi, sed etiam mortui ante multa secula: Tunc omnes fideles, qui ab initio mundi fuere, semel ex mortuis resuscitatos, & reliquos, qui vivi, iusq; ad adventum illius supererunt, unâ cum illis ad se in aërem rapiet, & immortalitate donabit, & in solio suo regio collocabit: Tunc universam hanc mundi machinam, cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, quæ Deus olim ad usum hominum creaverat, unâ cum hominibus impensis, igne illo æterno cremabit, & sic, tanquam triumphans victor, Ecclesiastam suam universam ad summam felicitatem perducet. O beatos eos, qui digni habitu fuerint, tantam Iesu Christi regiam majestate contemplari, & qui una cùm eo participes æternæ illius beatitatis futuri sunt.

His verò omnibus ita peractis, tunc (ut nobis ista mysteria D. Paulus pandit) tradet regnum suum Christus Deo & Patri suo, nempe sponte suâ, perfunctus illis omnibus, quæ ad istud regnum, cuius causâ exaltatus fuerat, pertinebant: & postquam ei omnia subiecta fuerint, tunc & ipse filius subiectetur illi, qui subiecit ei omnia, ut Deus sit omnia in omnibus. Sic enim Deo illi summo visum est, ut quemadmodum originem suam tantum bonum ex isto oceano divinitatis paternæ traxerat: sic etiam, absoluто per Iesum Christum negotio salutis humani generis, cuius causâ, ut suprà diximus, potissimum & principaliter Dominus Iesus tantoper exaltatus fuerat, ad eundem tandem recurreret. Nunc Deo

1. Cor. 15. 28.

Matth. 25. 31.

2. Theß. 1. 7.

1. Cor. 15. 24.

Luo. 21. 26.

Rom. 2. 16.

Rom. 14. 9.

1. Theß. 4. 17.

Apoc. 3. 21.

Hebr. 1. 11, 12.

2. Petr. 3. 10.

Quid sit Traditio  
Regni Christi.

1. Cor. 15. 28.

subdita sunt omnia, quæ in cælis & in terra sunt; Solus Iesu Christus regnat cum Deo, & ut in Ecclesia regnaret, ipse Deus voluit, ut suprà docuimus, ad amplificandam gloriam suam, & perfectissimè confirmandam fidem hominum: At tunc, quemadmodum omnes alii, sic etiam ipse filius, nempe Iesu Christus, qui *κατ' ἐξοχὴν*, & hic & alibi sic appellatur, quemadmodum vicissim Deus ille unus, Pater etiam simpliciter appellatur, subjicietur illi, qui ei omnia subiecera, nempe Deo Patri, ut is *sit omnia*, hoc est, perfectissimè suam potentiam, sapientiam & bonitatem exerceat, *in omnibus*, hoc est, ut antea in solo Christo: sic etiam, ab illo tempore, in omnibus, qui sunt Christi. Et etiamsi legatur, fideles Iesu Christi cum eo olim regnato, & eos sessu, in Christi throno, & recturos gentes virgâ ferre; & denique mundum & angelos judicaturos, hoc est, mundo & angelis ipsiis sanctis præstantiores futuros, de qua præstantia populi Christi alias, Deo dante: certum tamen esse debet, Iesum Christum, in hac ipsa beatitate supremum gloriæ locum semper habiturum, tanquam eum, qui reliquis omnibus ad eam ineundam autor, & ejusdem dator fuit. Quemadmodum etiam credibile est, eos, qui præ aliis in hac mortalitate, Iesu Christi religioni propaganda & colendæ operam dederunt, præ aliis etiam gloriâ in illa beatitate illustres fore. Ad quam felicitatem deducat nos, Iesu Christus Dominus & Rex iste noster diviniſſimus.

## C A P. X XIII.

## De Christi Sacerdotio.

**A**TQUE sic hactenus absolutis illis, quæ ad divinum Iesu Christi regnum pertinere videntur, nunc etiam de munere ejus sacerdotali breviter aliquid nobis addendum est. Quod quidem totum negotium quām brevissimè exponere, propositum nobis est. Primum igitur omnium considerandum venit, per Iesu Christi sacerdotium aliud nihil significari, quām quod Christus nostri curam gere velit, & gerat. Et hoc tantum a regno ejus differt, quod Christus, quatenus Rex est, potest nostri curam gerere: quatenus verò Pontifex, gerere etiam (ut diximus) vult, & gerit.

Deinde considerandum etiam est, totam hanc rem, quæ per sacerdotii vocabulum in Christo describitur, esse figuratam, quā scilicet explicantur ea, quæ sub veteri Fædere olim extabant. Quemadmodum enim sub veteri Fædere Deus Pontifices esse voluit, qui causam populi

*Hebr: 1. 1.  
Ioh. 5. 20.*

*2. Tim: 2. 12.  
Apoc: 2. 27.  
4. Cor: 6. 2, 3.*

*Quid sit Christi  
sacerdotium.*

*Differentia inter  
Christi regnum  
& sacerdotium.*

*Christi cura,  
quam suorum ge-  
rit, verbis figura-  
tis describitur in  
epist. ad Hebr.*

puli apud Deum agerent: sic etiam, quia Iesus Christus causam populi divini in cælo agit, ideo ipse sacerdos; & hoc opus illius, sacerdotiū appellantur. Potest hoc totum ex eo apparere, si consideretur, in sola quodā modo Epist. ad Heb., Christi, quatenus sacerdos est, & sacerdotii ejus mentionem fieri: Et tamen impossibile est, alios Apostolos in suis scriptis, rei tam insignis, sine qua Christi dignitas consistere nequit, nullam mentionem facere. Quod igitur ipse Christus, cùm adhuc mortalis es-  
set, promisit, se futurum cùm suis singulis diebus usque ad consumma-  
tionem seculi; se eos non relictum orphanos; se eis daturum os &  
sapientiam, cui nemo possit resistere: Et quod idem, ex mortuis resu-  
scitatus, dixit Iohanni: *Ne metuas, &c. ecce vivo in secula seculorum.*  
Et Divo Paulo: *Ne metuas, sed loquere, & non tace, quia ego tecum sum:*  
Quod denique apud Apostolos est, Iesum Christum caput esse Eccle-  
siæ, & Ecclesiam esse ejus corpus; Ecclesiam ab eo soveri; Christum  
nos liberare a futura ira, hoc est autori Epistolæ ad Heb.; Iesum Christum Pontificem nostrum esse. Hoc autem tum ob alias causas, tum  
ob hanc etiam hīc primum annotare voluimus, ut sciamus, in istis figu-  
ratis loquendi modis, quantumvis fortasse cuiquam videri possit, Christo summam in eis præstantiam tribui: tamen minus ei tribui, quam  
res est. Pontifex enim sub veteri Testamento, ex præscripto Dei tan-  
tum ea faciebat, quæ divinitus ei præcepta erant; & peractis illis, fiebat  
Dei benignitate, ut effectus ille consequeretur, qui promissus a Deo  
fuerat, hoc est, expiatio peccatorum populi; interim verò effectus ille  
non penes sacerdotem ullo modo erat: At Iesus Christus ita nunc ad-  
ministrat negotium salutis nostræ, ut ea, quæ ipse facit, Dei benignitate,  
effectus, quem speramus, non tantum consecuturus sit: sed ipse Christus plenariam potestatem habet ea dandi populo suo, quæcumq; ad ve-  
rum ejus salutem pertinent, eaq; ita habet, ut Christus ipse dixerit, Pa-  
trem neminem judicare.

Quo porrò figuratè loquendi nimio studio, factum est, ut etiam de Christo dicatur, cum apud Deum pro nobis interpellare, quia scilicet Pontifex in veteri Testamento munus suum perficiebat orādo propriè pro populo. Quod ipsum indicio erat, quod nō haberet potestatē ea fa-  
ciendi, quæ Deum orabat. At de Iesu Christo, non nisi impiè, dici potest,  
cum nunc non habere potestatē omnia faciendi, quæcumq; ad regnū ipsi-  
us quoquo modo pertinent. Itaq; nimis planè figuratè de Christo dicitur, cum pro hominibus interpellare. Nam si hīc figura nulla admittatur, eò recurrendum est, ut affirmetur, Iesum Christum, figuratè loquen-  
do, nunc habere omnem potestatē in cælo & in terra, contrà quam

*Math. 28. 20.  
Ioh. 14. 18.  
Matth. 10. 20.*

*Ap. 1. 17.  
Act. 18. 9, 10.  
Eph. 1. 22-23.  
Col. 2. 29.  
1.Theß. 1. 10.*

In locutionibus  
de Christi sacer-  
dotio figuratis  
minus Christo tri-  
buitur, quam res  
est.

Christi interpel-  
latio pro nobis,  
figurata est.

haec tenus a nobis ex S. literis evidenter demonstratum est. Nam tanta Christi potestas, & sineulla figura accepta, nullo modo, cum vera & propriè accepta interpellatione cōsistere potest. Qui proprie orat, is potestatem omnia faciendi propriè non habet: qui potestatem omnia faciendi propriè habet, is, propriè loquendo, cur interpellet, causam nullam habet. Quoniam verò ea, quæ de Christi potestate in S. literis leguntur, figuratè intelligere, esset religionem Christianam, quantum in nobis est, pessundare, figuratè ea, quæ de ejus pro nobis interpellatione leguntur, accipienda esse firmiter concludimus.

*Cur figuratè de-  
scribatur Christi  
cura, quam nostri  
gerit.*

*s. Cor. 15. 27.*

Cur tamen voluerit Spiritus sanctus, hanc Iesu Christi curam, quam populi sui gerit, & gerit divinâ suâ potentiam, hisce loquendi modis figuratis, qui multò minus continent, quam res est, describi, causa hæc potissima esse videtur, ut sua, Deo illi summo, gloria & eminentia illibata conservetur. Tanta scilicet Iesu Christi potentia futura erat, & nunc est, ut, nisi hujusmodi loquendi modis, & aliis similibus, cavisset Spiritus S., facile homines in eam cogitationem venire potuerint, Iesum Christum esse illum unum & summum Deum. Hinc equidem credo, Paulum, cum dixisset, omnia Deum subjecisse pedibus Iesu Christi, statim illa verba addidisse: *Cum autem dicit, esse ei subiecta omnia, manifestum est, quod excepto eo, qui subjecit ei omnia, veritus nimirum, ne quis planè universaliter vocem Omnia acciperet, & ita etiam ipsum Deum in ea includeret.*

*Ex locutionibus  
de Christi mune-  
re figuratis, judi-  
cium faciendum  
est de illius per-  
sona.*

*Christi interpel-  
latio quid sit.*

*Eph. II. 41. 42.*

Quò magis accusandi sunt ii, qui ab initio, cum audirent, Iesum Christum tantâ præditum esse potentiam, totq; & tanta ei tribui, quæ merè divina sunt, cæperunt cogitare de statuendo isto dogmate, quod Iesus Christus sit idem Deus, qui Pater est. Nimis enim apertè eos ab isto proposito de hortari poterant, hujusmodi sacrarum literarum loquendi modi. Nullo enim modo, is Deus ille unus esse potest, qui alium orat. Quomodo enim oret, & quomodo orare Deum posset, idq; in cælo, is, qui Deus ipse est? Cùm stultissimum sit, semetipsum orare, & apud semetipsum pro alio intercedere.

Cùm igitur de Christo dicatur, cum pro nobis interpellare, aliud nihil dicitur, quam eum potentiam illâ suâ sibi datâ nostri curâ gerere, hoc est, ne credatur, potentiam illam in Christo esse naturalem, additur illud, unde contrarium apertè appareat, nempe cū talem esse, ac si subindecid, quod facit, a Deo precibus impetraret. Simile quid huic est in isto loco, in quo, cum Christus Lazarum ex mortuis resuscitatus esset, hæc verba leguntur: *At Iesus elevatis oculis sursum dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter turbam, quæ circumstat, hoc dixi &c.* Suprà enim ostensum est, Iesum

Christum potestatem miracula faciendi ita in se habitantem habuisse, ut, quandocumque vellet, eam pro libitu suo non tantum uti, sed etiam cum aliis eandem communicare potuerit; & tamen hoc in loco Patri gratias agit, quod se exaudierit. Voluit nimirum, ipse Iesus Christus, hisce verbis apertissimè significare, totam illam potestatem, licet iam quodammodo sua propria facta esset, sibi divina benignitate contigisse: Hoc autem optimè futurum credidit, si Patri suo pro ea gratias ageret. Simili præterea loquendi modo usus est Christus cum ait: *Ego rogarbo Patrem, & alium Paracleum dabit vobis*, pro eo, quod dicere poterat, ego postquam ad Patrem meum abiero, & exaltatus fuero, potentia mihi dandam mittam vobis Spiritum sanctum, quemadmodum ipse Dominus alibi ait: *Si abiero, mittam eum ad vos*, & quemadmodum Petrus ipse etiam id explicat.

Ex his ita perpensis, aliud deinde oritur & deducitur, nempe, Iesum Christum, sacerdotem tuum primum re ipsa & perfectè factum esse, cum in caelos ascenderit. Nec enim prius potestatem omnem habuit, quam in caelos ascendiisset: Sine potestate autem divina Sacerdotium ejus peragi non potuit. Quod etiam expressè testatur autor Epistolæ ad Hebr. dum ait: *Vnde oportuit eum fratribus per omnia assimilari, ut misericors fieret & fidelis Pontifex, & iterum: Habentes Pontificem magnum, qui caelos penetravit, Iesum filium Dei, & iterum: Si super terram, esset, non esset Pontifex.* Ob quam etiam causam, locum illum, Sancta sanctorum, in quod Pontifex legalis ingressus, sacrificium offerebat, cum caelo comparat. Certum enim est, Pontificem illum prius non perfecisse suum illud munus, quam in illum locum ingredereetur. Non potest quidem Christi afflictio & mors ab ejus sacerdotio separari: sed tamen in ipsa morte sacrificium ejus perfectum nullo modo est. Quemadmodum verò omnia ea, quæ Pontifex veteris Testamenti faciebat in maectanda pecude, priusquam in sancta sanctorum ingredereetur, apparatio tantum quædam erant ad futurum sacrificium: sic etiam ipsa Iesu Christi afflictio & mors, preparatio tantum quædam ad istud sacerdotium illius fuere, quod in caelum ingressus, re ipsa perfecit. Notandum enim est, pecudem illam maectam quidem fuisse, ante ingressum in sancta sanctorum: at illuc illatam non fuisse: Sic etiam mortuus quidem est Iesus Christus, antequam sacerdotium suum obiret: sed tamen ipsa ejus mors ipsum sacerdotium nondū fuit. Cum vero Iesus Christus semetipsum, & corpus illud suum, quod ei Deus aptum ad id munus efficerat, eidem obtulit, quod tunc factum est, cum in ipsum caelum ascendit, tunc demum ipsius oblatio perfecta est; & ipse Christus, & sacerdos factus

Exaudiens quid sit in loco Ioh. 1.1.

Quid sit Rogare.  
Iob. 14. 16.

Iob. 16. 7.

Act 2.33.  
Christi sacerdotium in caelo demum perfectum.

Heb. 2. 17.

Cap. 14.  
Cap. 8.4.  
Cap. 24.

Christi mors  
preparatio est ad  
sacerdotium ipsius.

Heb. 10.7.

factus est & oblatio , hoc est , absq; figuris loquendo : Quando Christus in cælum ascendens , factus est immortalis , & cum Deo habitare cœpit in loco illo sanctissimo , cœpit nostræ salutis curam talem gerere , qualem se gesturum antea promiserat . Hanc Christi oblationem autor Epistolæ ad Heb: volens innuere , & aperte demonstrare eam tunc demum perfectam esse , cùm Christus in cælum ascendit , ait : Talem decebat nos habere Pontificem sanctum , labe carentem , impollutum , segregatum a peccatoribus , & excelsiorem cælis factum , & paulò infra ait : Iesum Christum semetipsum Deo immaculatum obtulisse per æternum spiritum , intelligens per ista epitheta , sancti , labe carentis , impolluti , segregati a peccatoribus , & innocentis , non Christi sanctitatem quoad mores . hac enim semper perfectè Christus fuit præditus , etiam antequam Pontifex noster factus est : sed eam sanctitatem , quæ Christi naturam respicit . Quæ Christi natura , quandiu is in terris fuit , quia fratribus per omnia fuit assimilatus , infirmitati & mortalitati obnoxia fuit : nunc verò ab ea in omnem æternitatem libera est . Quâ loquendi formâ Paulus etiam usus est , cùm de Christi Ecclesia scribens ait , Christum ideò seipsum tradidisse , ut eam sanctificaret , purgatam lavacro aquæ in verbo , ut exhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam , non habentem maculam , aut rugam , aut aliquid hujusmodi , sed ut sit sancta & immaculata . Certum enim est , omnia ista verba , non minus de ista gloria & perfectione Ecclesiæ Iesu Christi accipienda esse , ad quam tandem eam perducturus est in vita futura ; quam de ea , quâ eam in hac viâ ornatam esse vult . Imò , etiamsi duplex hic sensus nobilissimus admittendus sit , ut alibi sàpè sit in sacris literis : credimus tamen unum magis principaliter hîc locum habere , alterum minus principaliter , nempe , sensum priorem , qui est de sanctitate in futuro seculo , magis principaliter : posteriore in verò , qui est de vita sanctitate in hoc seculo , minus principaliter . Primum enim magis ad scopum Apostoli pertinet , id , quod Ecclesiæ in futuro seculo contingere debet , Christi morte interveniente : quam id , quod ei in hoc seculo contigit , & quod ipsa facere tenetur . Proposuerat enim Apostolus singularissimum charitatis Iesu Christi argumentum , quâ Ecclesiam suam complexus sit , ut ita maritos etiam Christianos adduceret ad diligendas uxores suas , idque sumit a violenta morte Iesu Christi , quam sponte sua subdit Ecclesiæ causâ ; & rem istam amplificaturus , finem etiam exprimit , cuius causâ Iesus Christus pro Ecclesia mortuus sit , nempe hunc , ut eam gloriosam redderet , &c . Qui finis quanto est præstantior , tanto etiam præstantior Iesu Christi charitas , quæ hunc finem spectavit , censenda est .

Heb. 7.26.

6.9.14.

Quis sit sensus  
loci , Heb:7.

Heb: 2. 17.

Eph: 5. 27.

Explicatio loci  
similis.

est. Itaque, quia summa præstantia, ad quam Ecclesia aspirare potest, est immortalitas, ideo etiam in his verbis ad eam respexisse Paulum, admodum verisimile est, præsertim quod proprius & principalis mortis Christi finis est, salus nostra æterna. Deinde, etiamsi Ecclesia Iesu Christi, teneatur aspirare ad summam morum & vitæ perfectionem: certum tamen est, eam, generatim loquendo, vix in hoc seculo, ad tantam per venturam, quantahis verbis continetur, nempe, quæ sit gloria, non habens maculam, nec rugam, aut tale quid, sed ut sit sancta & impolluta. At de futuro statu Ecclesiæ in altero seculo certissimum est, eam talem futuram, non tantum, quoad ipsam sanctitatem vitæ, sed etiam quoad sanctitatem naturæ. Fient enim Christi fideles naturæ & gloriæ divinæ participes, in qua nullus est defectus, nulla macula, nulla labes, nec quicquam tale, quod ab iniquissimo rerum censore culpari possit. Maximè vero vocabulum *gloria*, ostendit, de ejusmodi præstantia cætus Iesu Christi hic sermonem esse, quæ impropriæ in hoc seculo locum habet: propriissimè autem in futuro seculo locum habitura est.

Quandiu igitur Iesus in terris fuit, infirmitate circumdatus & mortalitati obnoxius: tandiu fuit, ut eum hic idem autor Epistolæ ad Hebr. nominat, Apostolus nostræ confessionis, hoc est, annunciator & confirmator. hoc enim legatorum munus est: At posteaquam in cælos ascendit, iam Pontifex, hoc est, procurator etiam nostræ confessionis & salutis, & consummator, ut infra ait, fidei est. Hæc enim, ut iam diximus, proprietas olim erat muneris sacerdotum, procurare ea, quæ ad populi divini commodum pertinebant.

Sed præterea considerandum est, quidnam illud sit, quod Christus offert. Offert igitur semetipsum vel corpus suum, quemadmodū hoc ipse autor noster, non uno in loco Epistolæ hujus, disertissimè affirmat, & quidem semetipsum inculpatum: perpetuò apud Deum præstò est, & potentia sibi a Deo datâ, ad salutem nostram procurandam potissimum utitur.

Efecta deniq; istius oblationis, hoc est, istius apud Deum præsentia Iesu Christi, quæ sint, apprimè considerandum est. Ea vero, sunt omnia illa beneficia, quæ infinita ferè quotidie in cætum ejus redundant, de quibus suprà, cùm de regno Christi differeremus, satis dictum est. Omnia enim, quæ ibi dicta sunt, huc etiam referri possunt, diverso respectu considerata, nempe istic, tanquam ea, quæ Christus faciendi absolutam potestatem: hic vero tanquam ea, quæ Christus faciendi promissimam voluntatem habet, & reipsâ facit. In primis autem sacrae literæ meminerunt expiationis peccatorum, cùm de Christi munere sacerdotali sermo est.

T

Et certe

Heb. 3. 1.

Heb. 12. 2.

Christus est sacerdos &amp; oblatio

Efecta sacerdotia Christi.

*Quomodo peccata nostra per Christum expiatentur.*

*1. Cor. 15. 2.  
Rom. 4. 25.*

*2. Joh. 5. 7.*

*1. Thess. 1. 10.*

Et certè hæc etiam est propria istius muneric operatio , quemadmodū ea etiam erat proprietas istius muneric sub veteri Testamento. Hoc igitur quomodo fiat , paucis exponemus. Expiantur propriè peccata, dum nobis pñæ eis debitæ remittuntur. Nec enim novum est in S. litteris , peccatum vel iniuriam, significare reatum ipsum peccati vel iniurias. Hoc modo dicitur, Christum mortuum esse pro peccatis nostris, vel propter peccata nostra, quia scilicet ideo mortuus est, ut nos a pñæ peccatorum etiam liberaremur. Hoc modo dicitur, sanguinem Christi, eos, qui in luce ambulant, ut Deus in luce est, purgare ab omni iniuriae. Quod de pñæ iniurias intelligi debere, nemo non videt. Eum enim, qui ita in luce ambulat , ut Deus in luce est, liberatum esse oportet a peccati actu. Remittuntur autem rursus peccatorum pñæ, quatenus omnia , & temporalia & æterna judicia , quæ in alios peccatores Deus permittit, in primis verò mors illa æterna, a nobis plenissimè, avertuntur: & rursus, omnia nobis beneficia spiritualia, in hoc seculo donantur &, tandem illud sumnum beneficium, nempe immortalitas , in futuro seculo continget. Hoc verò totum ideo tantum fit & fiet , quia Iesus Christus semper apud Deum præsens adest, penes quem est absolutem jus mortis & vitæ, adeoq; omnium pñarum & judiciorum. Is non permittit, ut ii, qui sibi confidunt, affligantur unà cum aliis, qui eidem vel non obediunt, vel planè eundem respununt: Is animas & corpora eorum custodit, ne percant, &, ut Apostolus loquitur, eruite eos ab ira futura: Is, cùm extrellum illud judicium veniet, sententiam feret irrevocabilem, ut iidem, qui sibi confisi fuerunt, ex morte in vitam revocati , æternam vitam cum ipso Deo & cum omnibus sanctis Angelis vivant: reliquos verò omnes , æterno supplicio addicet, & a facie Dei gloria in æternum rejiciet. O verè igitur divinam Iesu Christi oblationem, quæ populo illius tam divina beneficia conciliat.

## C A P: XXIV.

*De fide in Christum, & de adoratione & invocatione Christi.*

**E**X his autem omnibus, quæ hactenùs de divino regno & sacerdotio Iesu Christi disseruimus, hoc tandem efficitur, ut huic tali & tanto regi & sacerdoti nostro, non secus atq; ipsi Deo confidere discamus , & necessariò confidamus , omnem fiduciam & spem nostram in eo collocâtes, ut in ipso uno Deo; & præceptis ejus sanctissimis obedientes, ut divinis. Hoc enim unum ex illis est, quibus fides nostra

*Proprietas fidei in Christum.*

stra Christiana præstat isti fidei, quâ homines sancti olim Deo confidebant, ut scilicet non tantum uni illi Deo, verum etiam ipsi Iesu Nazareno confidamus, vel, ut D. Petrus loquitur, ut per Christum in Deum credamus, certò persuasi, nos, dum ita Iesu Christo confidimus, rem facere ipsi Deo longè acceptissimam: imò Christo confidendo, ipsi Deo nos confidere, & nunquam confusum iri. Sic enim testantur S. literæ, quòd D. Iesus altâ voce dixerit: *Qui in me credit, non in me credit, sed in eum, qui me misit.* & Apostolus ait: *Quicunq; in eum credit, non confundetur.* Quæ verò fides ista sit, & cui debeat, paulò ante docuerat v. 9. dum ait: *si credideris, quod eum (Christum) Deus ex mortuis resuscitavit, salvus eris,* per resurrectionem intelligens (ut suprà a nobis de monstratu fuit) ipsam etiam Christi exaltationem & divinam potentiam; & affirmans, fidem ei deberi, quem Deus ex mortuis resuscitavit, qui nemo aliis est, nec esse potest, nisi is, qui ex Spiritu S., conceptus, & ex virginē Maria natus fuit, verus homo.

Hujus fidei in Iesum Christum, consequentia rursus quædam sunt, divina, quæ ei dehetur, adoratio & invocatio. Quæ quidem ita inter se differunt, ut adoratio sit, cùm quis alicui corpus aut animum reverenter inclinat; & coram eo venerabundus procumbit, etiamsi nihil petat. quenammodum legimus Angelos Iesum Christum adorare, vel genua ei flectere, quod idem est, qui tamen eum non invocant: Invocatio verò est, cùm quis, in necessitate constitutus, aut aliquid percupiens, confidenter alienam opem & benignitatem implorat. Illam, nempe adorationem, debet Iesu Christo omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, hoc est, omnes Angeli, tām boni quām mali, omnes homines tām vivi, quām mortui; & quicunq; vivorum hominum non semper adorat Iesum Christum is proculdubio Christianus esse desistit. Potest autem quis simul & semel Deum adorare, & Iesum Christum, dum scilicet utrumq; reveretur & veneratur, adeò ut nihil, observantia eorum, nedum dicere aut facere, sed ne cogitare quidem audeat, quod eis aduersetur, vel divinam eorum majestatem offendere possit: Hæc verò invocatio, a solis hominibus in Christi gloriam exercetur. Angeli enim boni non habent, cur Christum invocent, cùm sint beati: Malive-rò, etiamsi, cur eum invocent, habeant: tamen aditum ad gratiosum thronum Iesu Christi nullum habent. Et hoc homines impii, quandiu a Deo planè indurati & rejecti ob impietatem suam non sunt, ipsis diabolis feliciores sunt, quod illis ad Iesu Christi thronum patet aditus: his verò planè interclusus est. Et hac invocatione, jure, omni loco & tempore, colere Iesum Christum possunt omnes homines, maximè verò ii, qui-

S. Petr. 1. 28.

Ioh. 13. 44.

Rom. 10. 18.

Differentia adorationis, &amp; invocationis.

Phil. 2. 9.  
Adoratio ab omnibus creaturis Christo debetur.

Invocation ab hominibus, tantum Christo tribuitur.

cunq; nomen ejus profitentur , adeoq; etiam interdum tenentur. Gravissimè enim is peccaret, qui, si Spiritus ei id suppeditaret, ut Christum invocet, vel etiam, si alios eum invocantes audiret vel videret, nolle tamen ipse eum tunc temporis invocare. Ita adoratio tribuitur Christo, propter supremam ejus maiestatem : hæc invocatio propter summam ejus potentiam. Illam nobis a Deo præceptam esse, certò statuendum est, cùm expressè legatur, Deum præcepisse, ut Angeli eum adorent. Hinc enim inferri potest, idem etiam præceptum esse hominibus. Deinde in Psal. 45, in quo, proculdubio, de Iesu Christo, Prophético more, sermo est, apertè leguntur hæc verba ad sponsam ejus directa: (ut est in Hebraico) *Adora eum*. Hanc autem, nempe invocationem, ejus generis esse, ut omniloco & tempore Iesu Christo tribui possit, docet primùm ipsa rei natura. *Quis enim est, qui nesciat, eum, qui & potestatem & voluntatem habet, bona aliqua alicui dandi, invocari posse, ut ea illi det.* Adeò ut homines isti, non multum intelligere, dici possint, qui Spiritu Iudaico inflati, propterea Iesum Christum invocare nolunt, quia scilicet apertum ea de re præceptum nullum extet. Est enim invocatio Iesu Christi, ex numero earum rerum, quas præcipere, nullo modo opus est: *Quemadmodum etiam invocatio ipsius Dei, non ideo principaliiter nobis incumbit, quia Deus ita præcepit.* Nam, ab ipso mundi initio, semper homines pios Deum invocasse, certissimum est, quos tamē, ea de re præceptum a Deo sibi datum ullum habuisse, nemo probare potest: *Imo, si quis rem paulò altius consideret, quod ad Christi invocationem attinet, non videtur fieri posse, ut extet de ea aliquod præceptum.*

Nam præceptorum omnium Dei ea natura & vis est, ut homines, quoties ea perficiendi occasio sese offert, obligent. Si igitur præceptum extaret de Christo invocando, tenerentur homines perpetuò, quotiescunq; scilicet occasio aliquem invocandi sese offerret, neminem alium invocare, quam Iesum Christum; atq; ita nunquam esset occasio, Deum illum unum, Patrem Iesu Christi, invocādi, *Quod longè absurdissimum esse, testantur exempla Apostolorum, qui in suis Epistolis plerunq; Deum Patrem invocarunt: testatur etiam consuetudo in Ecclesia Christiana recepta antiquitùs, quâ Deus Pater ut plurimum etiam invocatur.*

*Quod si quis sentit, eodem modo etiam occasionem nullam futuram, Iesum Christum invocandi, si præceptum extet de Deo Patre invocando, is scilicet in errore non leviter versatur. Nec enim ita est Deus Pater Iesu Christo subordinatus, ut Iesus Christus Deo Patri, ut, qui Patrem invocat, filium etiam ita invocet: quemadmodum, qui filium invocat, Patrem etiam invocat. Semper Deus Pater invocatur, sive quis*

Adoratio cur  
Christo debeatur.

Hebr. 1. 6.

Psal. 45. 12.

Cur Christus in-  
vocari semper &  
ubiq; possit.

Invocationem  
Christi præ-  
ceptum esse, opus  
non est.

Invocationem  
Christi præ-  
ceptum esse, impos-  
ibile est.

Omnis invocatio  
tendit ad Deum  
Patrem.

quis verba sua ad Deum Patrem dirigat; idque vel eo modo, quem nos D. Iesu docuit, vel alio simili: sive quis ad ipsum Iesum Christum verba sua dirigat. Verè enim totum illud cedit in Dei illius summi gloriam, & jure hac de re dici potest: Qui invocat Christum, non Christum invocat, sed illum, qui eum misit, quemadmodum Christus, de fide in se collocanda, dixit. Eadem enim ratio, hac in parte, est invocationis, quæ fidei.

Præterea, etiamsi nullum extet præceptum de Christi invocatione, nec ea ex eorum numero sit, quæ præcepto comprehendere necesse, vel etiam possibile est: tamen, præter ipsam Iesu Christi potestatem, & curam quam populi sui habet, quæ sola satisest ad nos perpetuò aliciendos & extimulandos, ut Iesum Christū, in omnibus, quæcunque, ad regnum illius & salutem nostram, pertinere quoconque modo possunt, invocemus, extant ipsis Iesu Christi, & Apostolorum peregrigiae commonefactiones, quibus nos ad id faciendum cohortantur: extant enim sanctorum virorum exempla, quæ in hujusmodi negotio tantum non præcepti loco esse possunt & debent. Quod ad commonefactiones attinet, legimus apud Iohannem, quod Christus suos discipulos ita hortatur: Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio. Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam. Et iterum: Amen amen dico vobis, quod, quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsq̄ modo non petiſtis quicquam in nomine meo, petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. & paulò post: In illo die petetis in nomine meo, &c. Petere autem in nomine Iesu Christi, duas potissimum in scriptis novi fæderis significationes habet. Vna est: quod in nomine Christi petere, nihil aliud est, quam eo nomine petere, quod quis Christi sit, & ex numero discipulorum & sectatorum ejus. Confirmatur autem hæc horum verborum explicatio, primùm per ea, quæ Christus ipse dixit: Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi es̄tis: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Deinde per Petri verba, quæ leguntur cap: 4. Quod enim v. 14. dixerat. Si probris afficimini in nomine Christi, beati(eritis,) illud deinde v. 16. sic effert: si autem (quis vestrū patiatur) ut Christianus, non erubescat. Et quod ad ipsum locum attinet, satis ea explicatio confirmari videtur per ea, quæ idem Christus dicit in frā in eodem sermone cum discipulis suis: si manferitis in me, & verba mea in vobis manferint, quodcunque volueritis, petetis, & fieri vobis, & paulò inferius: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut abeatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

Ioh. 12. 44.

Quid nos ad  
Christi invoca-  
tionem extimu-  
lare debemus.

I.  
Commonefactio-  
nes Christi.

Ioh. 14. 13, 14.  
Eph. 16. 23, 24.

E. 26.

Mar. 9. 41.

Ioh. 15. 7.

E. 16.

Altera significatio est, ut, in nomine Christi petere, idem sit, atque in potestate Christi petere, id est, Christi potestati confisum. Quod tunc maximè sit, cum ab ipso Christo petitur. Tunc enim verè apparet, petentem Christi potestati confidere. Confirmatur autem hæc interpretatione, non modò ex eo, quod nomen pro potestate in sacris literis frequenter usurpatur, & in ipso novo Testamento, inter alios hisce in locis, in quibus de ipso Christo sermo est: *Collocavit (scilicet Deus Christum) ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatus non solum in seculo hoc, sed etiam in futuro: Et alibi: Ideo eum Deus superexaltavit, & donavit illi nomen super omne nomen, ut in nomine Iesu omnem genu spectatur.* Et iterum alibi: *Tantò præstantior (Christus) effetus Angelis, quantum differentius præ illis hereditavit nomen:* Sed etiam quia hæc eadem phrasis, in nomine alicuius, in eodem novo Testamento idem valere invenitur, quod, in alicuius potestate seu virtute. Vt cum Christus ait: *Opera, quæ ego facio, in nomine Patris mei, hæc testantur de me,* & iterum: *Cum essem cum eis in mundo, servabam eos in nomine tuo,* & cum D. Petrus & Iohannes interrogati a principibus sacerdotum, in qua virtute aut in quo nomine fecissent istud miraculum, ita responderunt: *Notum sit vobis & omni plebi Israël, quod in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus excitavit ex mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus, nominatim ex isto loco atque expressè apparet, In nomine Christi, aliud nihil esse, quam in Christi potestate.* Quia verò in his locis nostris, quos præ manibus habemus, prior significatio locum habere non potest, tum propter verba, & *Ego faciam, quæ non bene cum ea cohærent: tum propter id, quod Christus ait, discipulos ad eam diem non petiisse quicquam in nomine ipsius.* Nam profectò satis jani, ut Christi sectatores, petierant, cum Deum, relictis omnibus, & Christo adhærentes, aliquid rogaverant, ideoquæ hanc alteram significationem huic loco convenire, statuendum est, tum propter ipsa verba, *Et ego faciam:* tum propter hoc, quod planè verisimile est, Apostolos ad eam diem nihil dum, Christi potestati, ita, ut parerat, confisos, petiisse, ut pote, quam tunc demum perfectè cognoverunt, cum Spiritus eis S. datus fuit.

Deinde, commonefactionem habemus insignem D. Pauli, quam ex Prophetæ verbis adducit: *Omnis quicunque nomen Domini (nempe Christi) invocaverit, salvus erit.* Certè enim is commonefacit aliquem ad aliquid faciendum, qui salutem ei, si id faciat, ad quod eum commonefacit, promittit. Invocare autem nomen Domini, nihil aliud est,

Eph. 1. 21.

Phil. 2. 9.

Heb. 1. 4.

Ioh. 10. 25.

Ioh. 17. 12.

Act. 4. 10.

II.  
Commonefactiones Apostolicæ.

Rom. 10. 13.

udest, quām Christum non tantū confiteri: verū etiam de eo & de potentia ejus ita persuasum esse, ut in omnibus necessitatibus suis ad eum confugere quis non dubitet. Et hoc quidem semper in ista phra-  
fi, invocare nomen alicujus, continetur.

Denique commonefacit nos ad idem faciendum autor Epistolæ ad Hebræos, dum ait: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia, iuxta similitudinem, absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus in opportunum auxilium.* Certum enim est, istum thronum gratiæ, de Iesu Christi maiestate regia, juncta cum paterna ejus benignitate, intelligi posse. Quod si quis putet, id de Dei Patris throno intelligendum esse, jam antea manifestè ostensum est, tunc demum rectissimè ad thronum Dei accedi, cùm ad Christum ipsum acceditur.

Quod ad exempla Apostolorum & aliorum virorum SS. attinet, primùm legimus, Apostolos Christum, cùm adhuc in terris esset, invocasse hoc modo: *Domine, adauge nobis fidem, & iterū: Domine, servanos, perimus*, cùm maris & ventorum impetu jam mergi videbantur. Quod tamen, Dominum vel à grè tulisse vel improbabile, nunquam legimus. Deinde etiam Stephanus Iesu Christi protomartyr, eum invocavit, primùm pro seipso, dum ait: *Domine Iesu, recipe spiritum meum.* Deinde pro hostibus suis, dum ait: *Domine, ne imputes illis hoc peccatum.* Paulus vero Apostolus ait, se ter Dominum rogasce, ut Angelus satan, qui eum colaphizabat, ab eo discederet. Vbi per Dominum intelligi ipsum Iesum Christum, qui sub novo fædere unus ille Dominus est, præter alia multa, ostendunt versiculi sequentis verba, in quibus Apostolus ait, se libenter gloriaturum in infirmitatibus, ut inhabitet in eo virtus Christi, illius scilicet, qui invocatus a Paulo responderat: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate perficitur.* Quæ quidem exempla docent, Christum a nobis invocari posse, in omnibus etiam gravissimis, & spiritualibus necessitatibus, in quibus solus Deus a deesse suis potest, & in quibus solus Deus, tūm ab aliis, tūm ab ipso Christo antea invocari solebat, qualia sunt: adaugere fidem; in mortis periculo conservare; Spiritum hominis recipere, & pñnam non irrogare impiis, adeò, ut nihil dubitemus affirmare, ea omnia, quæ ipse Christus Patrem quotidie nos orare docuit, a Christo rectissimè peti posse. Quæ omnia etiam in istis salutationibus, quæ singulis ferè Apostolorum epistolis præfixæ sunt, contineri, nemo est, qui non videat cùm sci-  
licet gratiam, pacem & misericordiam precantur Apostoli fidelibus, a

*Heb. 4. 15. 16.*

Exempla invoca-  
ti Christi.

*Luc. 17. 5.*  
*Matth. 8. 22.*

*Act. 17. 29.*  
*Q. 60.*

*2. Cor. 12. 8.*

*1. Cor. 8. 7.*

Deo

2. Joh. 3.

In omnibus necessitatibus  
Christus invoca-  
ri potest.

2. Theß. 3. 11.

6. 12.

Cur Christus  
Deus appellatus  
post exaltatio-  
nem.

Deo Patre, & a D. Iesu Christo filio Patris, ut D. Iohannes addit.

Sed præterea in aliis etiam necessitatibus, quæ quidem per se spirituales non sunt, sed tamen ad Iesu Christi regnum quoquo modo pertinent, eum invocari posse, planè credendum est. Exemplo sit nobis id, quod de D. Paulo legimus, dum ait: *Ipse autem Deus & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, dirigat viam nostram ad vos.* Vnde vide-  
mus, quemadmodum Christiani in itineribus etiam, quæ, ut Christiani, suscipiunt, possunt nomen Iesu Christi invocare, & eundem petere, ut ea fortunet: sic etiam posse eosdem in aliis omnibus negotiis, licet per se sint vel politica vel domestica, si aliquo modo ad regnum Iesu Christi specent, Iesum Christum invocare, & certò persuasi esse, eundem etiam exaudire posse preces suorum fidelium, & exauditurum, si cum fiducia, & secundum voluntatem ejus rogent. Ex quibus omnibus tandem satis superq; constat, Iesum Christum verè divinum esse regem, cui divina etiam competit adoratio & invocatio.

Atq; hīc recordetur pius lector, quod suprà diximus, cùm de divinitate Christi, quam in terris degens habuit, ageremus; & consideret, an non summo jure Iesus Christus, Dominus & Deus noster, & Deus super omnia, vel omnes benedictus in secula, unâ cum Thoma & Paulo Apostolo a nobis appellari possit. Dominus & Deus procul dubio a Thoma appellatur, quia sit talis Dominus, qui divino modo in homines imperium habeat, & divino etiam illud modo exercere possit, & exerceat. Hoc jam an ita se habeat reipsâ, crediderim euidem ex iis, quæ haec tenus de Christi divino regno & sacerdotio docuimus, hominem etiam rudissimum abundè perspicere posse, & pertinacissimum quemq; id sponte suâ confessurum. Deus verò super omnia, vel omnes benedictus in secula appellatur a D. Paulo, quia nemo sit, cui tanta beatitas & gloria tribui debeat, quæ omnium aliorum, nempe hominum & Angelorum beatitudinem & gloriam superiet, & quæ in omnem æternitatem duratura sit, præter solum Iesum Christum. Quis verò neget eum divino modo in omnes, & omnia imperium habere, qui & Angelos & diabulos, & omnes homines mortuos & vivos, ipsos cælos, ipsam terram, ipsum mare, & omnia, quæ in omnibus cælis, in tota terra, & in universo mari continetur, adeò perfectè sibi subdita habet, ut Angelis imperare, diabulos & homines impios coercere, & æternū delere; pios omnes vivos perfectè regere & tueri, omnia eis ex illo supremo cælo bona spiritualia, & terrena suppeditare, & tandem ipsam vitam æternam donare: mortuos verò ex ipsis inferni fauibus eripere, cælum, terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, ad nutum suum, quò velit, nunc convertere, & tandem

tādem funditū destruere potest? Quomodo eum quis, super omnia, vel super omnes in secula benedictū esse, neget, qui omnes beatos Angelos gloriā superat; qui Dei gloriā perfectissimè fruitur; qui ad Dei gloriam omnes fideles suos recipiet, & inter eos omnes, qui glorioſi evadent, & glorioſi in omnem æternitatem erunt, omnium glorioſissimus semper futurus est? Certè hæc omnia, si apud alios parūm prosunt ad cognoscendum Iesu Christi stupendam divinitatem, mihi & omnibus, (ut spero) qui solo verbo Dei nituntur, adeò ad id ſufficient, ut, si mihi ſint centum linguae, ſint oraq; centum; & linguae & ora ista, non humanā, ſed Angelicā prædita ſint eloquentiā: nunquam tamen, ne centesimam quidem tantæ Iesu Christi divinitatis portiunculam, me fando exprefſurum ſperem; & quò diutiū eam conſidero, eò magis in conſiderationem ejus rapior, & maximam eorum, quæ de divinitate Christi ſcimus, partem, minimam eorum, quæ de ea ignoramus, partem eſſe, planè tandem perſuafus ſum. Voluit ſcilicet Deus ille benignissimus, potentissimus, & ſapientissimus, extare materiam & cauſam, de qua cogitent, & quam conſiderent omnia omnium hominum acutissima ingenia; de qua colloquantur, & quam canant omnes omnium hominum diſertifimæ linguae; quam admirentur, & cujus admiratione obſtupescant omnes omnium hominum etiam pertinacissimæ mentes; & cujus meditatio, prædicatio, & admiratio, omnibus ſeculis, ab eo punc̄to temporis, quo Dominus Iesu in mundum venit, uſq; ad ipſius adventum, & in omnem æternitatem, ſufficeret.

## C A P: X X V.

*De causis exaltationis Christi.*

**H**ic ſi fortè quis, motu hoc noſtro, in Christi vera prætantia & divinitate afferenda, conatu & ſtudio, interroget: Quenām cauſa fuerit, cur Deus Iesum Christum talem & tantum effeſerit; & quid interſit, credere Iesum Christum talem & tantum effectum eſſe, modò credatur, eum talem & tantum eſſe. Hanc nos interrogatiōne primū tanquam ſumoperè neceſſariam multū probamus. Sic enim occasio nobis datur, ea dicendi denuo, ſemel & ſummatim, quæ jam non ſemel, ſparsim, diversis in locis, in hoc libello diximus, & de quibus cerebrimē & perpetuò dicere, animus noſter gaudet & geſtit: Et non po- teſt, niſi ab animo probo, & cui religio cordi ſit, proficiſci hujusmodi interrogatio; & planè ſperamus, unumquemq; qui ſic interrogat, non

Interrogatio de  
cauſis exaltatio-  
nis Christi, ho-  
mine Christiano  
dignissima.

procul abesse ab ipso regno cælorum , & vera hujus sacro sanctæ veritatis cognitione. Deinde verò respondentes ad interrogationem , causas hujus tanti operis has esse credimus, quas in sacris literis ad literam expressas, non uno in loco habemus. Vna est, gloria illius summi Dei

Phil. 2. 9, 10.

Patris. Sic enim ait D. Paulus: *Super exaltavit eum (Christum) Deus, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus (est) Iesus Christus ad gloriam Dei Patris.* Quæ gloria Dei, ut omnium actionum divinarum unus & unicus. ita etiam hujus actionis unus, unicus , & summus finis est.

Vnde gloria Dei  
pendeat.

Certum est, gloriam Dei maximè inde oriri, & Deum collaudandi hanc causam esse præcipuam, si ejus potentia , sapientia , & bonitas agnoscatur: & quòd major potentia, sapientia, & bonitas Dei appetat, tanto major illius gloria inde oritur. Quia verò in hoc negotio, summa Dei potentia, summa sapientia, summa bonitas apparuit, summam etiam hinc Dei gloriam manare, necesse est.

Potentia Dei in  
exaltando Chri-  
sto.

Heb. 5. 7.

I. Cor. 1. 24.

Eph. 1, 17, 19, 20.  
21, 22, 23.

Iam, quæ major hac potentia esse potest, quòd Deus eum, qui mortalis olim, & mortuus , & morte ignominiosissima & execrabiliteremitus erat, & qui ingente cum clamore & lachrymis, preces & supplicationes Deo obtulerat, ne abeo derelinqueretur , sed ut ex morte liberaretur, tantoperè exaltavit, ut omnia ei, se solo excepto, subjecerit? Hoc considerans D. Paulus, Iesum crucifixum Dei potentiam esse ait, & alibi, mira verborum vi & emphasi, ad rem miram explicādam, utens, ait: Deum Domini Iesu Christi, excellentem magnitudinem potentiae suæ erga nos , qui credimus, secundum efficaciam potentiae virtutis ejus, re ipsâ operatum esse in Christo, cùm eum ex mortuis resuscitavit, & collocavit in dextera sua in cælis, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo , sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, (&) plenitudo ejus, qui omnia in omnibus implet, per hoc , ipsum Christum intelligens. Omnia reliqua Dei opera per se magna sunt, ut ipse Deus magnus est : At respectu hujus, omnia parva sunt, & tantum non nihil. Plæraq; enim finita sunt: quæ verò æterna sunt, illa nō in tam infirmo, qualis olim fuit Christus, demonstrata sunt; nec etiam ullo modo paria sunt ei, quod in D. Iesu exaltando Deus exhibuit. Semper autem, quod æternū est, majus est eo, quod finem habet ; & quòd humilior is est, qui exaltatur, & quanto magis exaltatur : tanto potentior appetat is, qui eum exaltavit, & tantoperè exaltavit. Sciebatur antea, Deum posse a diluvio conservare;

ex du-

ex durissima & desperata servitute liberare; in medio ignis a vi ejusdem illibatos, inter medios leones a furore eorundem defendere; ab instantे mortis periculo eripere, eos, qui sibi confidunt: at nesciebatur perfecte Deum posse eum etiam liberare, qui jam ab ipsa morte & inferno planè absimptus esset; eumq; non tantum liberare, sed etiam summa & divina beatitate donare. Hanc igitur suam, antea incognitam, potentiam Deus exeruit, & reipsā demonstravit, dum Iesum Christum ex mortuis excitavit, & talem tantumq; effecit, ut omnia, se solo excepto, ei subsercit.

Quæ deinde sapientia major hac esse potest, quòd Deus, ad tantam gloriam per tot & tantas afflictiones: ad tantam voluptatem, pertot & tantos dolores: ad talem & tantam vitam, per talem mortem Iesum Christū deduxit? Ad summam gloriam & felicitatem homines pervenire, suā sapientiā & industriā nullo modo possunt: ad qualemcumque, vel etiam magnam gloriam & felicitatem, pervenire possunt suis viribus. Sed quo modo & medio? Humano ut plurimum, & semper. Ut scilicet, unusquisq; ad ea magna semper quāvis ratione, sive justa, sive injusta aspiret; omnia ignominiosa fugiens; honori studens, & vitam suam quām diligentissimè custodiens. Qui verò ignominias subeundo, dolores ferendo, & vitam profundendo, felix & gloriosus evaserit, hactenus nemo fuit. In solo Iesu Christo hanc suam summam Deus mundo patefacere voluit sapientiam. Quæ Dei sapientia præterea ex eo agnoscitur, quòd hic modus, quo Deus Iesum Christum ad vitam & gloriam immortalē deduxit, perfectissimè omnium ostendit, quis verè sit probus, quis improbus. Nam qui improbus est, licet audiat, immortalitatem illis offerri, qui hac ratione, quam Christus præscripsit, Deo serviant: tamen, quia hanc austera viam ingredi non vult, semper cupiet ea esse falsa, quæ Evangelium promittit, & ita nunquam verè fidem ei adhibebit; vel etiam si fidem ei adhibere inceperit: tamen non constâter in eo perseverabit. Qui verò probus est, is, quantū vis una ex parte terretur istius viae austritate: tamen semper ex altera parte allicietur ad ea insistendum & prosequendum eam, amore scilicet virtutis & ipsius immortalitatis; & ita hic verè trahitur, ille repellitur. Quod itidem considerans D. Paulus, Iesum crucifixum sapientiam Dei esse ait, & iterum paulò infrà ait, Iesum Christum nobis a Deo factum esse sapientiam.

Quæ denique bonitas major hac esse potest, quòd Deus, ut nos, hostes suos & pñnam dignos, sibi reconciliaret, ei, quem fratres, nos appellare non pudet; qui omnia ea mala, quæ nos experiri debemus vel possumus, expertus est, ut nostri perpetuò misereri, & auxilium opportu-

Sapientia Dei in  
exaltando Chri-  
sto,

r. Cor. 24.  
v. 30.

Bonitas Dei in  
exaltando Chri-  
sto.

num largiri possit , tantam in cælo & in terra potestatem dedit ? O miram Dei φιλανθρωπίαγ, ô divitem, ô magnam misericordiam, quam si homo mortalis consideret , non mirum esset, si præ gaudio exiliret. **Quis** jam ista audiens non erumpat in ista cum Apostolo verba : *Benedictus (sit) Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo,* & cum D. Petro: *Benedictus (sit) Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis,* & cum omnibus fidelibus, ut est in Apocalypsi: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui fu-  
it, & qui est, & qui erit.* **Quis** unâ cum illis non pròcidat, & quis non adoret viventem in secula seculorum? & quis non projiciat coronam suam coram throno ejus, dicens : *Dignus es Domine, accipere gloriam & honorem, & virtutem; quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, & creatas sunt,* cùm, quod aliud Deo nostro pro tanto beneficio reddamus, non habeamus. Atque ita, quomodo gloria Dei ex isto miraculo suo opere, nempe exaltationis Christi, manet, docuimus.

Christi exaltatio  
est confirmatio  
fidei nostræ.  
**x. Petr. 1. 21.**

Altera causa est: confirmatio fidei nostræ. Sic enim disertè ait D. Petrus: *Vos creditis in Deum per Christum, qui suscitavit eum ex mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra & spes esset in Deo.* Revelârat nobis & promiserat Deus, per Iesum Christum , vitam & immortalitatem. Nostrum jam erat Deo revelanti & promittendi fidem habere : Sed primùm, quia nimis natura nostra distat a natura divina: deinde, quia nimis hoc arduum erat & captum nostrum superans, hominem naturâ mortalem; & morti, propter propagationem, quam ex Adamo habet, obnoxium; & morte denique, propter sua ipsius peccata, dignum, tam citò, adeò alium futurum, ut ex mortali immortalis, ex morti obnoxio a morteliber , ex morte digno vitâ æternâ dignus evasurus sit: quia deniq; res ista planè inaudita antea erat, & ipsa novitas, itaq; vix fieri posse videbatur, ut ista fides nostra firma esset: imò facillimè fieri posse videbatur , ut homines, ineptitudinis ac indignitatis suæ tām multiplicis memores , Deo tantum bonum promittenti, fidem non adhiberent, atque ita omnis opera Dei vana & irrita fuisset. Hoc Deus ille, summè bonus & pater misericordiarum, providens, nostram hanc infirmitatem ita juvare dignatus est, ut nemo, nisi deploratus, fidem Deo habere non possit. Parùm enim fuit, istam Dei promissionem de salute nostra, Iesu Christi innocentia, miraculis & ipsa morte confirmatam fuisse. Nam si Christus in morte remansisset, quantumvis doctrinam suam firmissimè confirmasse visus esset: vana tamen fuisse fides nostra.

**x Cor: 15. 14,17.**

Eph. 1.3.

I. Petr. 1. 3.

Ap. 4. 8,9.

q. 12.

nostra. Quomodo enim gregarii milites sperent vitam æternam, siquidem dux bellii a morte absorptus est? Ostensam igitur etiam nobis esse illam annunciatam & confirmatam salutem æternam, Deus voluit, per Iesu Christi ex mortuis resurrectionem & exaltationem. Sed etiam hoc parum fuit. Nam si Christus ex mortuis resuscitatus tantum fuisset, & in cælum non ascendisset, credere quidem potuissimus, fieri posse, ut nobis vita æterna detur, quia scilicet Christo duci nostro data sit: sed tamen eandem certò nobis etiam datum iri, nondum perfectè scire potuissimus. Nam magna erat similitudo inter Deum & Christum, ideoque non usque adeò erat mirum, si Deus ei vitam concessit immortalem: at inter nos & Deum maxima est omnino dissimilitudo, ideoque nimis mirum erat, nos vitam a Deo æternam sperare debere. Istam igitur nobis promissam, confirmatam & ostensam salutem, datâ nobis etiam quodammodo esse Deus voluit, ut ita quam certissimi de ea essemus. Hoc autem Deus effecit, dum ei, quem non puduit nos, fratres suos appellare, Dominum nostrum absolutum effecit: dum eum qui dux fidei erat, consummatorem etiam fidei esse voluit: dum ei, qui pro nobis mortuus fuit, eiisque ideo, quia filius hominis est, potestati donavit, nos nunc perpetuò regendi, & tandem reipsâ nobis vitam æternam dandi. Quamprimum enim hoc innotuit humano generi, jam & sufficientissima ei data fuit occasio credendi & confidendi Deo, quod æternam salutem daturus sit omnibus creditibus: jam sufficientissimum etiam datum fuit hominibus a Deo auxilium, omnes diaboli, mundi, & carnis, laqueos, vincula, & cathenas, quibus eos antea captivos detinebant, summa vi perrumpendi, & totos se Iesu Christo emancipandi, dum scilicet via apertissima ad ipsam immortalitatem, & ipsa immortalitas ad oculum ostensa fuit.

Quod si quis querat: Annón perinde fidem nostram confirmare potuerit, si scivissimus, Deum ipsum nobis daturum æternam vitam. Huic ego considerandum illud relinquo, quanta sit Dei illius summi maiestas, quanta sanctitas, quanta sublimitas: quanta vicissim nostri infirmitas, quanta indignitas, & quanta humilitas. Experiatur enim procul dubio eam tantam esse, ut vix ac ne vix quidem, etiam si audiamus, Deum eam nobis daturum, nos tamen firmiter illud credere potuerimus. Nunc verò, quia Iesu Christo data est potestas, dandi nobis vitam æternam, allicimur, trahimur, rapimur, & tantum non cogimur ad istud credendum & firmissime statuendum. Fratres Iosephi nullo modo non credere non poterant, se in aula Pharaonis consecuturos, ea, quæ ad vitam illorum sustentandam pertinebant, quia scilicet ibi fra-

Heb: 2. 11.

Heb: 12. 2.

Cur necesse sitere  
dere, Iesum Chri-  
stum factum esse  
talem, qualis est.

ter eorum germanus erat, qui cum Pharaone regnabat. Et quomodo non crederent fideles Iesu Christi, se consecuturos omnia a Deo, quæ ad vitam illam æternam pertinent, & ipsam vitam æternam, si quidem Iesus Christus, quem non puduit fratres suos appellare fideles, ita apud Deum est, ut vices ipsius, in regendis fidelibus, sustineat; qui fidelium suorum causâ mortuus est; & cuius denique maximè interest, ut fideles suos servet. In hoc enim summa ipsius Iesu Christi gloria agitur, cuius ille non potest esse immemor. Omnis igitur salus nostra, ut omnia uno verbo dicamus, in hoc sita est, quod Iesus Nazarenus, Dominus, hæres, dator vitæ ipsius immortalis non tantum est: sed quod talis Dominus, hæres & dator vitæ æternae effectus est. Christi resurrectio, (liceat nobis idem, sæpius iterare) modum ostendit & viam consequendæ salutis: Christi in cælos ascensio, locum ostendit saluti destinatum: Christi divinum regnum, salutem nos certò consequi posse docet: Christi denique sacerdotium, salutem nos certò consecuturos, perfectissimè demonstrat. O charum Deo humanum genus: ô preciosam salutem humani generis, cuius causâ tot & tanta Deus, ut ex parte sui perfectissimè perficeretur, facere non recusavit.

Agnoscamus igitur nos, quorum Deus oculos mentis illustravit, tantum Dei opus, & pro eorum nomen ejus sacrosanctum celebremus, & per illud idē fidei nostræ infirmitatem confirmemus. Alii autē videant, quid faciant, qui hanc sententiam nostram respuunt, & ei contraria tuentur. Christo eum honorem tribuunt, quem sibi tribui non vult: interim eum honorem, Deo, quantum in illis est, detrahunt, quem sibi tribui vult: Seipso vero, per imprudentiam, summo bono, nempe confirmatione fidei suæ, privant. Quod solum deberet unumquæcumque cor datum ab hac ipsorum sententia quam maximè avocare. Nos enim audacter affirmare non dubitamus: neminem omnium eorum, qui credunt Iesum Christum a seipso Deum esse, & divinam potestatem habere, unquam posse omnino certam vitæ immortalis spem, vi sententia sua de Christo, habere.

### Parænesis ad pium Lectorem.

**H**ÆCSUNT, quæ in præsentia de IESU CHRISTI præstantia & divinitate breviter differere, (longior enim harum rerum omnium tractatio, librum non minimum cōficeret) & omnium hominum judicio & censuræ subjicere volui-

Imago totius sa-  
lutis nostræ in  
Christo propo-  
gata.

voluimus, ut scilicet justè judicent, an ii, qui talem de Christo habent sententiam, jure dici possint, in divinitatem ejus involare, & cum illâ privare.

Clamabit fortasse aliquis: Vera quidem esse ea omnia, quæ haec tenus de Iesu Christi præstantia & divinitate diximus: sed tamen non esse sufficientia. Omitti enim eam divinitatis ejus partem, quam ab omni æternitate habuerit unâ cum Deo Patre. At hunc primum nos rogatum volumus, ut, etiam si sentiat, nos aliquid eorū, quæ ali de Christo sentiunt, non confiteri: dediscat saltem dicere, nos Christum blasphemare, cuius talem & tantam agnoscimus divinitatem. Deinde, eundem monitum volumus, tantum abesse, ut ea, quæ de Iesu Christi divinitate, præter ea, quæ hoc scripto comprehensa sunt, plerique opinantur, veritati consentanea sint, ut potius manifestum sit, istam eorum opinionem planè erroneam, absurdam, & etiam valdè perniciosam esse. Nam, ut modò diximus, Deum verâ gloriam; homines verò vera consolatione privat: quemadmodum vicissim nostra confessio veram Dei gloriam afferit, & veram hominum consolationem ob oculos ponit, & demonstrat. Sed nolumus nunc, errores, absurdâ, & incommoda sententiæ illorum demonstlando, charitatem erga proximum vel minimum lacerare. Oramus potius Dominum nostrum Iesum Christum pro omnibus illis, qui nomen ejus sacrosanctum nominant, ut verè Dominum suum agnoscant, & eundem unâ nobiscum colant. Interim vcrô nostram de Iesu Christo confessionem firmissimè tenentes, nosmetipso rectâ animi conscientiâ, & sacrarum literarum suffragiis consolabimur.

Te verò, Domine Iesu Nazarene, Regem & Servatorem nostrum, delicias animi nostri, gloriam & spem nostram, & publicè in cætu tuo, & privatum ubique locorum, animo & ore cantabimus & collaudabimus; & laudes tuas cantando, & te collaudando, animos nostros in hac mortali vita pascemus & recreabimus, donec tandem nos ex hac mortali vita ad illam immortalem transferas, ubi, solutos omni metu, nostra nos manet beatitas; ubi nos Te & Patrem tuum de facie ad faciem videbimus; ubi hæreditatis illius, quæ neque finem, neque mutationem, neque tedium habitura est ullum, possessores erimus; ubi gloriam, quam oculus non vidit, auris non audivit, & quæ in cor hominis non ascendit, fruemur; ubi Tu, ad mensam collocatis nobis (ò impossibilia ad credendum, nisi id ipsa dixisset veritas) præcinctus servies; ubi nos Pater tuus (obstupescimus, dum hoc cogitamus) honorabit. Quod ut facias, supplices te oramus Domine Iesu Christe. Tibi debetur honor, & gloria ab omni natione & lingua in secula seculorum. Amen.

Objec<sup>io</sup>n<sup>e</sup>.Responsio de-  
plex.

1. Cor. 13. 12.

2. Petr. 1. 4.

1. Cor. 2. 9.

Luc. 12. 37.

Ioh. 12. 26.



9534  
0

